DE

PETRO DAMIANO

OSTIENSI EPISCOPO

ROMANÆQUE ECCLESIÆ CARDINALI

APUD PARISIENSEM LITTERARUM FACULTATEM

DISPUTABAT

L. GUERRIER

IN LYCEO AURELIANENSI PROFESSOR

AURELIÆ

APUD H. HERLUISON, BIBLIOPOLAM

VIA JOHANNÆ D'ARC, 15

1881

DE

PETRO DAMIANO

AURELIÆ, EX TYPIS GEORGII JACOB, VIA SANCTI STEPHANI, 4.

DE

PETRO DAMIANO

OSTIENSI EPISCOPO

ROMANÆQUE ECCLESIÆ CARDINALI

APUD PARISIENSEM LITTERARUM FACULTATEM

DISPUTABAT

L. GUERRIER

IN LYCEO AURELIANENSI PROFESSOR

AURELIÆ

APUD H. HERLUISON, BIBLIOPOLAM

VIA JOHANNÆ D'ARC, 15

1881

INDEX

AUCTORUM ET LIBRORUM QUI FUERUNT HOC IN OPUSCULO AD HIBITI.

B. Petri Damiani, S. R. E. Cardinalis, Episcopi Ostiensis, Ordinis S. Benedicti, et Doctoris sanctissimi ac disertissimi, Opera omnia, in quatuor tomos distributa ; Collecta studio et labore D. Constantini Cajetani, abbatis S. Barontis, Congregationis Casinensis. *Parisiis*, MDCLXXIII, 4 tom. in-f°.

B. Petri Damiani, Epistolarum libri octo, multis ex bibliothecis collecti, op. et stud. C. Caetani. *Parisiis, ap. Seb. Cramoisy*, MDCX, in-4°.

Vita S. Patriarchæ Romualdi, Camaldulensium fundatoris, per P. Damianum. *Romæ*, MDCLXVI, in-4°.

Rerum Italicarum Scriptores, ab anno æræ christianæ D ad MD, L. A. Muratori collegit. *Mediolani*, MDCCXXIII-MDCCXLI, 25 vol. in-f°.

Annales ecclesiastici, auct. Cæsare Baronio. *Antverpiæ*, *ex. offic. Plantiniana*, MDCXII-MDCXXIX, 12 vol. in-f°.

Critica historico-chronologica in universos Annales C. Card. Baronii, auct. Ant. Pagi. *Antverpiæ*, MDCCXXVII, 4 vol. in-f°.

Annales Ordinis S. Benedicti, auct. Mabillon. *Lut. Paris.*, MDCCIII-MDCCXXXIX, 6 vol. in-f°.

Acta Sanctorum, quotquot toto orbe coluntur, collegerunt ac digesserunt J. Bollandus et God. Henschenius S. J. theologi. *Parisiis et Romæ, ap. V. Palmé,* 56 vol. in-f°.

Acta Sanctorum ordinis S. Benedicti colligere cœpit D. Luc. d'Achery; D. J. Mabillon et D. J. Ruinard ediderunt. *Lut. Paris.*, MDCLXVIII-MDCCI, 9 vol. in-f°.

Sacro-Sancta Concilia a reg. edit. exacta à Ph. Labbeo et Gab. Cossartio. *Lut. Paris. impensis Societ. typograp.*, MDCLXXI ; 18 vol. in-f°.

Collectio regia maxima Conciliorum, ab ann. XXXIV ad ann. MDCCIV curavit J. Harduinus. *Paris, ex typographia regia*, MDCCXV, 12 vol. in-f°.

Veterum aliquot scriptorum, qui in Galliæ bibliothecis latuerant, Spicilegium ; op. et stud. D. Lucæ Dacherii. *Paris.*, MDCLXVI, 13 vol. in-4°.

Italia sacra, sive de episcopis Italiæ et insularum adjacentium, rebusque ab iis præclare gestis. Auctore D. Ferd. Ughello, Florentino. *Romæ*, MDCXLIV, 9 vol. in-f°.

Rerum Germanicarum Scriptores aliquot insignes, ex bibliotheca Freheri, curante Burcardo Gotthelffio Struvio. *Argentoraci*, MDCCXVII, 2 vol. in-f°.

Bibliotheca Cluniacensis, in qua SS. Patrum Abb. Clun. vitæ, miracula, scripta, statuta privilegia nunc primum ex ms. codd. collegerunt D. Marrier et And. Quercetanus. *Lut. Paris. Sumptib. Seb. Cramoisy*, MDCXIV, in-f°.

Arnulphi Mediolanensis historiographi Rerum sui temporis libri v. *Ap. Rerum Italic. Scriptores*, t. IV.

Landulphi senioris Mediolanensis historiæ libri IV, nunc primum editi ex mss. codicib. Eccl. metropol. Mediolan. *Ibid.*

Italicarum et Ravennatum historiarum Hieronymi Rubei libri XI, in quibus variæ Italiæ perturbationes explicantur. *Venetiis*, MDCIII, in-f°.

Francisci Petrarchæ, Florentini philosophi, oratoris et poetæ clarissimi, opera quæ extant omnia. *Basileæ, excudebat Henrichus Petri*, in-f°.

S. Benardi opera ed. Mabillon. *Parisiis*, MDCXC, 2 vol. in-f°.

Joannis Puricelli dissertatio *Utrum S. Ambrosius Clero suo Mediolanensi permiserit ut virgini nubere semel posset.* Ap. *Rerum Ital. Scrip.*, t. IV.

Chronica sacri monasterii Casinensis, auctore Leone card. episc. Ostiensi. *Lut. Paris.*, ex offic. L. Billaine, MDCLVIII, in-f°.

Augustini Fortunii Historiarum Camaldulensium libri III. *Florentiæ*, MDLXXV. Pars posterior. *Venet.*, MDLXXIX, in-f°.

Historia B. Platinæ de vitis Pontificum Romanorum. *Colon. Agripp.*, MDCXXVI, in-4°.

Vita S. Leonis papæ, auctore Wiberto, æquali. *Ap. Acta Sanctorum ordinis S. Bened.*, sæc. IV, II part.

Vita Mathildis comitissæ carmine scripta à Donizone, presbyt. et monacho Canusino. *Ap. Rerum Ital. Script.*, t. V.

Lamberti Schafnaburgensis de rebus gestis Germanorum. *Ap. Germanicarum rerum quatuor celebriores vetustioresque chronographi. Francoforti ad Mœnum*, MDLXVI, in-f°.

Ottonis episc. Frisingensis Rerum ab orbe condito ad sua usque tempora gestarum libri octo. *Ap. Germaniæ historicorum illustrium liber unus. Francofurti*, MDLXXXV, in-f°.

Brunonis de bello Saxonico historia. *Ap. rerum Germanicarum scriptores*, t. I.

Caroli Sigonii historiarum de regno Italiæ libri quindecim, qui historiam ab anno DLXX ad ann. MCC continent. *Venetiis*, MDLXXIV, in-f°.

DE

PETRO DAMIANO

CAPUT I.

De sæculari Damiani vita : pueritia quidem, disciplina, virtutibus. — Monasticam vitam ingredi statuit.

Pauperi genere, nec ignobili tamen ortus Damianus est. Hunc Ravennæ (1), anno Christi MVII (2) natum comperimus. Qui vix in lucem editus iniqua fortuna

(1) Quod ipse declarat ad Ravennatem archiepiscopum scribens : « Unde genus duxi summum conscendis honorem. » (Dam., opusc. VI, cap. 38.) Cf. Ginanni, *Lettera nella quale se dimostra che Ravenna e la vera patria de S. P. Damiano*. Assisi, 1741.

(2) 1006. Baronius, *Annal. eccles.* ad ann. 1072, num. 34. — 988. Bollandist. quos plurimi secuti sunt. Rem tamen ipse Damianus indicaverat : *Vix plane quinquennio ante meæ nativitatis exortum humanis rebus exemptus est tertius Otto*. (Dam., opusc. LVII, cap. 5.) Ottonem, vero III die januar. XXIII, ann. MII defunctum esse constat. (*Art de vèrifier les dates,* 3e édit., 1784, t. II, p. 14.)

exagitari cœpit. Mortuus enim pater, plurimique relicti filii (1), quos mater, in summa rerum angustia, vix sustentare potuit. Labore fracta, mœroreque ac desperatione amens, ubera, die quadam, parvulo præbere destitit, quasi mortuum cuperet. In eo jam Petrus erat ut animam propediem exhalaret, quum vicini presbyteri uxor (2), tantis commota miseriis, prostratamque adhortata matrem, semimortuum infantem ad vitam sedula revocavit.

Non ita multo post, obiit ipsa Petri mater ; quem tecto frater natu maximus, annuente uxore, recepit. « Hi conjuges, cum gerere pueri curam simularent, tam dura illum acrique premebant severitate, ut is non modo pane cibisque ac vino vitiosis et corruptis aleretur ; sed perpetuo nudatis pedibus pannosus incederet, et multis verberibus vapularet ; pauloque grandior factus, alendis suibus præficeretur (3). »

Dum talibus in angustiis degebat, argenteum nummum Petrus die quadam reperit, divesque repente factus quidnam inde sibi, nihil huc usque suavis unquam experto, procuraret, multo labore secum agitabat, quum subito : « Quid est quod revolvo ? Quidquid horum certe assumam, non erit hujus diuturna voluptas. Melius ergo est ut tradam presbytero, qui Deo sacrificium offerat

(1) Sex saltem, plures forsan supererant : ipse quidem Petrus, fraterque natu maximus; Damianus, de quo infra; Marinus, cujus Petrus meminit (epist. II, 14); tum sorores duæ : Rodelinda et Sufficia, quibus scripta epistola VIII, 14.

(2) Hanc *fœminam* Joan. Laudensis, *pellicem* vero Augustinus Fortunius vocat.

(3) Hieronymus Rubeus, *Italicarum et Ravennatum historiarum,* libri XI. Venetiis, 1603.

pro patre meo (1). » Ea jam erat in rudi incultoque adolescentulo pietas.

Interim alius Petri frater, Ravennam, unde aberat, reversus est. Qui puerum miseratus, eumque paterno amplexus amore, erudiendum curavit. Quare patriæ civitatis scholas assidue frequentavit; ubi quum præmaturo ingenio, diligentiaque, necnon eximia indole excelleret, ad meliores magistros Faventiam primum, deinde Parmam missus est. Frater autem ille Damianus vocabatur (2), unde Petrus Damiani cognomen accepisse creditur (3).

Cum autem Parmæ degeret, accidit Damiano res qua parum abfuit quin ipsius modestia summum in periculum veniret. « Cum adhuc videlicet, in ipso adolescentiæ flore, et nova pubertas indueret faciem, et æstus libidinis accenderent carnem, clericus quidam, Zeuzolinus nomine, pellicem suam juxta meum habebat hospitium. » Venusta illa erat, pulcher et amator, « qui semper ornatus atque conspicuus incedebat, ita ut caput ejus nunquam nisi gibellina pellis obtegeret. Carbasinis ac niventibus indumentis vestitus erat, ejusque calcei aquilini rostri speciem obtendebant. » Erat ei præterea suavis et tinnula vox, adeo ut in ecclesia modulans,

(1) *Vita B. Petri Damiani*, per Joannem monachum, ejus discipulum, cap. II.

(2) Ravennas archipresbyter, monachus postea fuit. (Petri Dam., epist. V, 2, et opusc. XXXIII, cap. 4.)

(3) Ab aliis *Petrus Damiani*, ab aliis *Damianus* scribitur. Quæ vox posterior anteponenda videtur utpote in ejusdem ætatis documentis communius usurpata. Vid. *Chronicon Casinense, sancti Hugonis miracula,* Alexandri II papæ epistolas. Ab ipso demum Petro Damianus scribitur, seu de fratre suo, seu de nepote mentio sit. Cf. Petri Dam., epistol. II, 14; V, 2; VI, 21, 22, 29.

omnium in se ora converteret. Quid plura? quotidie oculorum nutus, illecebræ, cachinni, ludibria. « His ego quia corpore contiguus aderam, mente longinquus esse non poteram. Quid dicam? quia dum hæc cernerem, titillantis luxuriæ molestias pertuli; quin etiam, postquam ad eremum veni, ejusdem lenocinii memoria me sæpius colaphizare non destitit; sæpe, fateor, mihi malignus hostis hoc schema proposuit, et illos esse felices ac beatissimos, qui tam jucunde viverent, persuadere tentavit (1). »

Artibus interea summo studio Petrus incumbebat, « in quibus scilicet tam docilis tamque industrius est agnitus, ut ipsis suis doctoribus mirabilis haberetur (2). » Quantam autem tunc temporis profanarum rerum doctrinam fuerit adeptus, ex ejus operibus dijudicari potest, in queis veteres, latini præcipue, passim seu proprio nomine, seu tacita quadam designatione usurpantur: Herodotus scilicet, Livius, Sallustius, Suetonius, Gellius, Procopius, Jornandes, Eutropius; Terentius quoque, Virgilius, Horatius, Ovidius, Cicero, Seneca, Plinius, aliique quorum scribendo sine ullo labore meminisse videtur (3).

Quum discendi finem fecisset, alios erudire cœpit, tantamque famam brevi consecutus est ut « facile primus tota Italia haberetur (4). » At ille terrena jam contemnebat, cœlestiæ suspiciens. « Sub mollibus itaque

(1) Petri Dam., opusc. XLII, *De fide non fallenda,* c. 7.
(2) *Vita B. Petri Dam.*, per Joannem monachum, cap. II.
(3) Opusc. V, XIII, cap. 24; XVIII, diss. 3; XX, cap. 7; XXXIII, XL, LI, cap. 14; epist. I, 21; II, 6; VII, 18, et alibi passim.
(4) Ex lib. V, *Historiarum Ravennatum*, Hieronymi Rubei.

vestibus cilicium induit, jejuniis, vigiliis et orationibus solerter institit. Et quia, calente juventa, stimulis acriter urgebatur carnalibus, mediis noctibus e strato consurgens, aquis se fluvialibus immergebat, in quibus tam diu nudo manebat corpore, donec algentia membra rigerent (1). »

Nec minus interea multis donare pauperes, quibus ad mensam sæpius accersitis, tanquam Christo propriis manibus ministrare gaudebat. Quum autem magis in dies caducas res abhorreret, monachus fieri decrevit et, insciis omnibus, ad Fontis Avellani (2) monasterium se recepit, annos circiter trigente natus.

(1) *Vita B. Petri Dam.*, cap. II.

(2) Legitur apud varios *Fons Avellani*, *Fons Avellanæ*, *Fons Avellanus*. *Fons Avellani* ab ipso Damiano, opusc. XIV scribitur ; a Fr. Petrarcha, *De vita solitaria*, lib. II, sect. III, cap. 17., *Fons Avellanæ*.

CAPUT II.

Damianus monachus, monachorumque præfectus. — Quæ fuerit, apud Avellanum fontem, eremitarum vita. — Quot et quanta in cœnobium bona Damianus contulerit. — Insignes B. doctoris discipuli.

In eremitorio Petrus magna protinus religione, modestia, morumque simplicitate claruit. Qui quum præterea, absolutis quotidianis precibus, summo lectioni studio meditationique vacaret, tantam brevi sacrarum scripturarum scientiam adeptus est, quantam antea secularium fuerat adeptus. Quare fratres edocere jussus.

Mox autem, percrebrescente fama, Guido (1), Pomposianus (2) abbas, ab Avellani Fontis priore postulavit ut Damianum sibi mitteret, secumque paulisper commorari sineret, quo melius monachos sermonibus posset et exemplis informare. Optime gesta res; neque Damianus unquam Pomposiæ est oblitus, ut ex ejus operibus videre est.

Ad propria post biennium revocatus ad S. Vincentii

(1) S. Guido seu Wido mortuus 1046. Die 31 martis colitur.

(2) *Pomposia*, pagus cum cœnobio in territorio Ravennate; ab ipsa Ravenna, 15 m. p.

cœnobium, apud rupem quæ *Petra Pertusa* nuncupatur, iterum missus est; in quo B. Romualdi vitam composuit. Inde rerum tempora præfinire licet. Dicit enim Damianus : « Ecce tria jam fere lustra transacta sunt ex quo B. Romualdus ad ætherea regna commigravit. » Quum aliunde constet Romualdum anno MXXVII esse defunctum (1), sequitur Damianum anno circiter MXLII scripsisse, ætatis suæ tricesimo quinto.

Fontis autem Avellani præfectus magnopere lætabatur se talem invenisse discipulum, cui eremi gubernacula secure permitteret. Fratrum igitur consilio necnon auctoritate usus, totam cœnobii administrationem Damiano, licet abneganti ac renitenti, post se suscipiendam mandavit. Paulo post obiit ipse, Damianusque prior factus est, anno, ut videtur, MXLIII. Extat enim ad Gebehardum, Ravennatem archiepiscopum epistola qua eum jam illo tempore fuisse præfectum manifesto perspicitur. Gebehardus autem XVI febr. ann. MXLIV defunctus est.

Situs Fons Avellanus in Umbria, Eugubinaque (2) diœcesi, sud ipsas Apennini radices, versus Orientem, ab ipso Eugubio XIV mill. pass. distans. In hac « quietissima solitudine (3) » eremitorium, circa annum Christi M à Ludulpho quodam, Gessonis filio, extructum traditur. Ludulphus postea Eugubinus episcopus factus est, quod et nonnullis Fontis Avellani monachis contigit, Juliano

(1) *Acta Sanctorum*, ad diem VII febr.

(2) *Eugubium,* hodiernis *Gubbio*, veteribus autem *Inguvium.*

(3) Petrarcha, *De vita solitaria*, II, III, 17. *De solitudine Petri Damiani.* Locum celebrat et Dante versibus quos recitantem ipsum Damianum inducit. (*Parad.,* cant. XXI, v. 106 sq.)

scilicet, Theobaldo, necnon Rodulpho Maynardoque, quorum tempore Damianus ipse vivebat.

Vigenti plerumque erant in cœnobio monachi, quibuscum quindecim conversi famulique degebant. Numero pauci quidem, at virtute præcellentes; quod eo tempore rarum, nec ideo mirandum erat : « Quid mirum, inquit Damianus, si defluente jam ex maxima parte monastico ordine, quosdam servos suos omnipotens Deus corroborat, qui et quæ vult in arboribus folia, cæteris decedentibus ligat (1). »

Tum eremitarum vitam describit, quæ postea fiat successuris documentum.

« Radant caput per menses singulos, exceptis quadragesimis duabus, quæ nimirum sine lavacro capitum transigendæ sunt. Balneis vero, si fuerint incolumes, non utantur. »

In parte autem anni circiter dimidia, quatuor per hebdomadem diebus jejunabant fratres, cætero tempore quinque diebus ; utraque autem quadragesima, quæ seu natalem Domini diem, seu Pascha præcedebat, sex diebus. Jejunantes autem semel in die mensæ accumbebant; absque pulmento. « Jejunare illos dicimus qui panem cum sale et aqua percipiunt. Ubi præter hæc aliquid additur, in Eremo jejunium non vocatur. » Erat et mensura panis, quare quisque frater in cella lances habebat. « Et ut nulla dubietas super hujusmodi mensura remaneat, novem ornicum vel tria anserum ova libratis lancibus tantumdem pensant (2). »

A jejunio autem abstinebatur, toto quidem anno,

(1) Dam., opusc. XIV, *De ordine eremitarum.*

(2) Dam., opusc. XV, *De suœ congregationis institutis,* cap. 8.

diebus dominicis; insuper et feria v, extra quadragesimas; demum et feria III, temporibus melioribus anni. Pulmenta duo, diebus dominicis fratres habebant; cæteris diebus, unum tantummodo. A vino primum omnino abstinebant, sed postea Damianus humanæ imbecillitati indulgendum esse censuit.

Ne quis autem, in tam regido vivendi modo gulæ forsan indulgeret, singulari sane argumento B. Doctor utitur : « Ejusdem fere vesaniæ est esculentiores epulas inhiare et anitergia cum eisdem in cuniculos mergenda depingere. Æque nimirum utraque ambitio ridenda est, quia sicut egestionum sordes melius pictura non tergit, ita etiam venter suaves cibos a grossioribus non discernit (1). »

Nonnulli statutam regulam excedebant, omni re coquinaria, festivis etiam diebus, abstinentes. Erant et qui poma, cæpas, porros omneque leguminum genus abhorrentes, solo pane vivebant; nonnulli pane dimidio; quidam autem duobus tantum in hebdomade diebus, dominica scilicet quintaque feria comedebant; hic vinum, acetum ille, lac alii; alii ova, caseum prorsus ignorabant. Loricas nonnulli ad carnem ferreas induebant, asperrima quæque cilicia molliora reputantes, « hic etiam lumbos suos ferrea semper catena circumdat, nequando modum sobriæ refectionis excedat. » Quin sæpius accidit ut longam, centum annorum v. g., pœnitentiam susciperent. Indicat Damianus quomodo tanta brevi tempore pœnitentia fieri queat : « Dantur enim ex more tria milia scoparum pro unius anni

(1) Opusc. xv, cap 20.

pœnitentia, sive vigenti psalteria, aut vigenti quinque missæ (1). »

Pauperes quidem regendos susceperat, Damianus, ut in ejus ad Gebehardum epistola videre est (2). Res autem in melius adduxit, cœnobii opes et prædia auxit, construi juxta ecclesiam claustrum curavit, in quo processiones præcipuis festivitatibus solemniter fierent, « cui et processioni crucem argenteam procuravimus. Ejusdem quoque intentionis studio, imbecillitati fragilium consulentes, etiam tintinnabula, atque bechinia, diversaque divinæ domus utensilia comparavimus. Calices quoque duos argenteos, pulcherrime deauratos, hac vobis ratione providimus, ut quum sacra Domini corporis et sanguinis mysteria vultis accipere, stannum vel vilius quoddam metallum vestris labiis nequaquam necesse sit adhibere. Hæc omnia, fratres, nos non sine labore quæsivimus, ut vobis laboris impendia tolleremus, tantoque liberius se vester animus ad alta sustolleret (3). »

In quo fratres adjuturus non modicam librorum copiam vir eruditissimus comparavit omnia scilicet tum Novi tum Veteris Testamenti volumina, Acta martyrum, SS. Patrum Homilias, necnon Gregorii, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Prosperi, Bedæ, Remigii, Amalarii, Haimonis, Paschasii commentaria complectentem; « ut sanctæ, inquit, animæ vestræ non solum oratione crescant, sed et lectione pinguescant. » Ex his autem codicibus nonnullos ipse correxit.

(1) Dam., opusc. XIV, *De ordine eremitarum*.
(2) Dam., epist. III, 1.
(3) Opusc. XIV, ad finem.

Suorum simul pietati providens, Mariæ Virginis horas quotidie recitandas, sextæque feriæ jejunium in Crucis honorem restaurandum curavit. Unde creditur Avellani Fontis eremum, B. Andreæ hucusque dicatum, S. Crucis postea usurpavisse nomen. Cæterum instituti a Petro devotionis usus per totam brevi Italiam recepti sunt.

Sed non satis habens unum administrare cœnobium, Damianus, utpote magno zelo inflammatus, alia quinque, per diversas ejusdem regionis partes, monasteria ædificavit : in Camerinensi diœcesi primum; mox ad Montem Regium, in territorio Perusino, ubi cellam reperit quam B. Romualdum incoluisse ferebant; tum Gamonii et Aceretæ, in Faventino; aliud denique in Ariminensi agro, in loco qui Murcianum nuncupatur (1). His cœnobiis, in eamdem congregationem coactis, Fontis Avellani eremus caput extitit, quem ipse præ omnibus, tanquam unicum, Damianus diligebat. Inde sæpe profectus, ut cæteros fratres sollicitus inviseret, sæpius epistolas, charissimosque sibi discipulos, non ad propria solum, sed ad omnia circum monasteria, tanquam communis pater, dirigebat.

Nonnullos tunc domi eximia sanctitate viros habuit, duos in primis quos, eodem fere tempore defunctos, eodem ipse opusculo, Alexandro II pontifici dicato, celebravit (2).

Horum prior B. Rodulphus, Fontis primum Avellani monachus, Eugubinus dein episcopus, qui die junii XXVI colitur. Alter Dominicus, cognomine Loricatus, qui duo

(1) *Vita B. Petri Damiani,* per Joannem mon., cap. VII.
(2) *Vita SS. Rodulphi et Dominici Loricati.*

psalteria, extensis in altum brachiis, sine ulla remissione recitabat. « Idem senex nonnunquam uno die continuo cum nocte, novem psalteria meditando decurrit; et interim, pene semper utraque manu scopis armata, nudum corpus afficit (1). » Die XIV octobris celebratur natalis Dominici dies.

(1) Dam., opusc. XV, cap. 14.

CAPUT III.

Damianus magna jam apud sæculares principes, summosque pontifices auctoritate valet. Ejus epistola ad Gregorium VI, de moribus episcoporum. — Clementem II ad reformationem hortatur. — *Liber Gomorrhianus*, Leonisque IX responsio. — *Liber Gratissimus*. — Conciliis Damianus interest.

Magnam doctrina Petrus, vitæque sanctitate, per totam ferme Italiam, præsertim septentrionalem, famam erat adeptus; maximaque jam auctoritate valebat.

Anno MXLIV, postquam tres simul pseudopontifices Romanam Ecclesiam invaserant, Gregorius tandem VI pontifex creatus est. Ad quem duplex extat Damiani epistola quæ, omni deficiente documento, sola, judice Baronio, sufficiat ut legitimum pontificem fuisse Gregorium concludatur. « Non enim ejusmodi fuit Petrus Damiani qui vellet hæc scribens turpiter adulari pontifici; nam exæstuans zelo ecclesiasticæ disciplinæ, nemini parcere novit, quin acerbissime arguerit quemcumque sciret eidem adversantem (1). »

(1) Baron., *Annal. eccles.*, ad ann. 1044.

Ex his autem epistolis (1) primo colligendum quanto studio religiosi viri reformationem in Ecclesia cuperent. Magna omnium lætitia exceptus novus pontifex; ab eo multa sperabant: « Reparetur nunc aureum Apostolorum sæculum, et, præsidente Vestra Prudentia, ecclesiastica refloreat disciplina. Reprimatur avaritia episcopales infulas anhelantium; evertantur cathedræ columbas vendentium nummulariorum. »

Pisaurensis tunc ecclesia in manu erat « adulteri, incestuosi viri, perjuri atque raptoris. » Castellana quoque, Fanensis et multæ aliæ a nequissimis episcopis regebantur; neque compertum unde meliores venirent: « Pro peccatis nostris, clerici digni episcopatus officio in nostris partibus non inveniuntur. » Quare archipresbyterum quemdam pontifici Damianus ipse commendare non dubitat, non quia dignum, sed quod, inquit, « quum Semproniensis ecclesiæ clericalis ordo in mea mente revolvitur, hic aliquando cæteris quasi meliusculus invenitur. »

Gregorio autem, ut ea corrigeret, tempus utique defuit: nam anno MXLVI, quum Henricus III imperator in Italiam venit, tres erant simul pontifices: Benedictus scilicet IX, Sylvester III et Gregorius. Abdicanti Gregorio, aliis revocatis, successit Suidgerus, Bambergensis episcopus, qui ipsa Nativitatis die consecratus, imperatorem, ejusque conjugem Agnetem, inter missarum solemnia coronavit. Clementis II numen acceperat. Ad hunc Petrus, quum segnior in agendo videretur: « Et quid prodest, Domine mi, quod apostolicam sedem de tene-

(1) Dam., epist. I, 1 et 2.

bris ad lucem remeasse dicimus, si nos adhuc in eisdem tenebris remanemus... Nos enim sperabamus quod esses redempturus Israel (1). »

Cum Henrico in Germaniam redeunte, de rebus ecclesiasticis Damianum sæpius fuisse collocutum constat, tum ex ipsius ad imperatorem litteris, tum præsertim ex epistola ad pontificem : « Imperator non semel sed sæpe mihi præcepit et, si audeo dicere, rogare dignatus est ut ad vos venirem, et quæ in ecclesiis nostrarum partium agerentur, quæque mihi necessaria a vobis fieri viderentur, vestris auribus intimarem (2). »

Brevi Clemens II defunctus ; celerius et Damasius II, qui unum solummodo mensem Apostolicam Sedem occupavit. Cui successit tandem S. Leo papa IX, antea Bruno dictus, Tullensis episcopus, in Belgica I.

Inimici Damiano erant, qui correctionem formidantes, novi pontificis animum præoccupare et a sancto viro alienare sunt moliti. Quare ad eum scribit Damianus ut, rebus diligentissime perpensis, inter se suosque accusatores judicet. Nec ita multo post librum Leoni Damianus dicavit qui *Gomorrhianus* inscriptus est.

Hoc in opusculo flagitia in quæ communius ætatis hujus clerici prolabebantur, apostolica libertate describit. Quæ quum referre pudeat, pauca quædam attingere sit satis. « Heu ! pudet dicere, pudet tam turpia flagitia sacris auribus intimare ; sed, si medicus horret visus plagarum, quis curabit adhibere cauterium?... Vitium igitur contra naturam ita serpit ut... nisi quantocius Sedis Apostolicæ vigor occurrat, non est

(1) Dam., epist. I, 3.
(2) Dam., epist. I, 3.

dubium quin effrenata nequitia, quum restringi voluerit, a cursus sui impetu desistere nequeat (1). »

« Sed, o scelus inauditum ! Si morte plectendi sunt qui facientibus ista consentiunt, quod dignum poterit illis excogitari supplicium qui cum spiritualibus suis filiis hæc mala extrema damnatione punienda committunt (2). »

Mos præterea invaluerat ut hujus facinonis rei inter se invicem confiterentur, ita ut « indiscretam indulgentiam quam sibi quisque affectat impendi, gaudeat alteri vicaria permutatione largiri. »

Quin imo, quum veteres et authentici Ecclesiæ canones, contra hos qui in talibus deprehendantur, summopere rigidi sint; canones alii, incerti auctoris, mollioresque circumferebantur. In quibus, inter cætera, scriptum :

Presbyter cum puella vel meretrice peccans, duos annos pœniteat. Si cum ancilla Domini aut masculo, additur jejunium.

Et paulo post : Clericus cum puella si fornicatus fuerit, dimidium annum pœniteat ; si canonicus, similiter ; si frequenter, duos annos.

Item episcopus cum quadrupede peccans (3), decem annos pœniteat ; presbyter, quinque ; diaconus, tres ; clericus, duo (4).

Facile demonstrat S. Doctor :

1° Istas qualescumque regulas authenticis Ecclesiæ

(1) *Lib. Gomorrh.*, cap. 5.
(2) *Lib. Gomorrh.*, cap. 6.
(3) Neque castiores matrone. V. Dam., opusc. LII, *De bono religiosi status*, cap. 28.
(4) *Lib. Gomorrh.*, c. 10.

canonibus esse oppositas, imo et inter se pugnantes.

2° Clericis, quibus his in rebus culpa major, minorem tamen quam laïcis pœnitentiam injungi. Ipse vero sodomitas a sacro prorsus ministerio arcendos, quin à christiana plebe sejungendos, et cum energumenis relegandos esse censet.

Ad Damianum rescripsit Leo IX: « Quia sancto furore permotus, quæ tibi videbantur scripseras, oportet, sicut desideras, apostolicam nostram interponas auctoritatem, quatenus scrupulosam legentibus auferamus dubietatem, et constet omnibus certum nostro judicio placuisse quæcumque continet ipse libellus. » Adeo autem malum invaluerat ut minoribus indulgentior, majores tantum in reos sævire papa decerneret.

Mortuo interea Gebehardo, archiepiscopo Ravennati, successerat Wickerus quidam, « violentus prædo, » quem Henricus imperator, omnibus plaudentibus, expulit. Henrico scripsit Damianus ne expulsum unquam in sedem restitueret. Imperator autem, currente anni MLII quadragesima, Ravennatem ecclesiam Henrico dedit. Huic a Damiano dicatus libellus qui *Gratissimus* inscribitur.

Quæstio orta erat, et in triplici romano concilio jam agitata, utrum hi denuo consecrandi forent, qui gratis fuissent à simoniacis consecrati. Negat Damianus, ea potissimum ratione quod sacramenti virtus a ministri virtute minime pendeat. Non ne duo sunt distinguenda: homo scilicet et ministerium? Non ne ab indignis sacerdotibus miracula sæpius patrata sunt? Non ne Raimbaldus, Fesulanus episcopus, simoniacus ipse et in

primis impudicus, dæmonem ejecit, pluraque alia prodigia exhibuit? Marinus quoque presbyter, licet publico conjugio devinctus, ea divinitus dispensata auctoritate valebat ut « quum sanctificatam per se aquam per agros aspergeret, non ulterius vermiculorum aut erucarum, non denique locustarum fruges læsura pestis aliqua remaneret, sed mox, agmine facto, omnes abscederent (1). »

At ejusdem Marini dominus, Hieremias nomine, inimici cujusdam canibus suis incantationes metuens, plenam aquæ ab ipso sacerdote consecratæ situlam petiit; quam cantabro (2) mixtam, « margaritas ante porcos projicere non formidans, » canibus, ne perirent, apposuit. Canes autem, « quum ad primos impetus avida vixdum ora laxarent, et ferales cibos necdum lingua contingerent, primo naribus odore percepto, protinus in terram omnes mortui corruerunt. »

Plura Damianus hujusmodi miracula subjicit, quorum unum, quo magis hujus ætatis mores penetremus, hic adhuc referre liceat.

« Alius quoque presbyter erat, nullius pene momenti, ita ut sæcularis prudentiæ ne tenui quidem calleret ingenio, litteras autem vix syllabatim ac rustice balbutiret. Aliquando vero gallinam ejus, hora vespertina, rapuit accipiter; quæ scilicet injuria amarissimo eum felle iracundiæ commovit, et ita plane ut minaretur sancto, in cujus nomine dicatam regebat ecclesiam, quia nisi sibimet altile suum, quod perdi-

(1) *Lib. Gratissim.*, cap. 18.
(2) Cantabrum est caninus panis.

derat redderet, nequaquam sibi, de cætero, ecclesiastica officia celebraret. Et tanquam linguæ vesania non sufficeret, manibus est ausus excidere, et ipsum altare virgis verberare aggressus est. Quid plura? Mane, die altero, gallina rediit (1). »

Anno autem MLIV, die XIX aprilis S. Leo papa defunctus est. Cui successit Gebehardus, germanicus episcopus, qui Victor II appellatus est. Huic, quum illatam religioso cuidam viro injuriam vindicare moraretur, maxima libertate scribere Damianus non dubitavit; ipsumque, in epistola, Christum inducit dicentem. « *Ego te quasi patrem imperatoris esse constitui... Ego claves totius Ecclesiæ meæ manibus tuis tradidi... Et si pauca sunt ista, etiam monarchias addidi ; imo, sublato rege de medio, totius Romani Imperii vacantis tibi jura permisi. Ego itaque, qui tibi tanta et talia præstiti, legem sive justitiam in tuo examine non invenio.* Si ergo te, piissime Domine, is qui judicaturus est vivos et mortuos his verbis impeteret, quid ad hæc tua sanctitas excusationis opponeret (2). »

Neque tantam libertatem reprehendendam arbitrabatur Petrus : « Parce ori meo, venerabilis Pater, nec homo hominis humiliter suggerentis verba fastidi, quum et omnipotens Deus hominibus dicat : *Venite et arguite me* (3). »

Damianum jam ad concilia summi pontifices arcessebant, nedum tam nobili sanctoque viro succenserent;

(1) Petri Dam., opusc. VI, cap. 18.
(2) Dam., epist. I, 5.
(3) Is., I, 18.

quod satis declaratur tum his adhortationibus quas ipse Petrus apud monachos habet ne, exemplo suo moniti, Synodos unquam adeant (1), tum ea præsertim ad Gislerum Auximanum episcopum epistola quam Baronius retulit (2). »

(1) Dam., *Apologeticum de contemptu sæculi,* cap. 29, 31.

(2) Bar., *Annal. eccles.* Antverpiæ, 1642, t. XII, p. 237.

CAPUT IV.

Episcopus creatur Damianus, Sacrique Collegii decanus. — De Benedicto antipapa et Nicolao II. — Damiani ad cardinales epistola de moribus reformandis. — Qui fuerint ipsius Damiani mores, quæ virtus.

E prædictis manifestum quanta jam fama Petrus et auctoritate polleret, quum Victori II successit Stephanus vulgo IX (MLVII.)

Nonum autem annum omnia, pontificum nomine, in Romana Ecclesia regebat vir inclytus, Hildebrandus, qui Cluniacensis olim cœnobii monachus, dein prior, Romam, deserta Gallia venerat, Leonem IX comitatus.

Vehementi restituendæ disciplinæ studio inflammatus, nec ignorans quantam sibi, in ea re operam Damianus navaret, auctor ipse fuit (1) cur Fontis Avellani præfectus a Stephano Ostiensis episcopus, necnon Sacri cardinalium Collegii princeps, invitus (2), intentaque excommunicatione (3), crearetur.

(1) P. Dam., epist. II, 8.
(2) Opusc. XX, cap. 1.
(3) *Vita Petri Damiani*, per Joannem mon., cap. 14.

Quod anno MLVIII, mense martis, initio quadragesimæ, sabbato vero quatuor temporum, contigit (1). Ostiensis autem episcopus primus tunc in Romana Ecclesia post summum pontificem erat, cui proprio suæ sedis jure cardinalium decano, honos insuper papam ipsum consecrandi competebat (2).

Brevi autem, die scilicet IV calendarum aprilis MLVIII Stephanus defunctus est.

Datam occasionem Gregorius de Alberico, Tusculanensis comes, confestim arripuit, ut diuturnam suæ gentis in eligendis pontificibus auctoritatem restauraret. Quare facta societate cum Gerardo de Galera, necnon quibusdam romanis principibus, Joannem, Veliternensem episcopum, Mincium cognomine, papam constituit, Benedicti nomine imposito (3). « Quod autem, inquit Damianus, ille (Joannes sc.) crimen hoc palliat, et tractum se vique coactum, quibus potest verbis, excusat, hoc ego, licet ad liquidum nesciam, tamen et ipse non usquequaque diffiteor : ita quippe est homo stolidus, deses ac nullius ingenii, ut credi possit nescisse per se talia machinari (4). » Simoniacus autem, multiplici ratione, Joannes est habendus.

1° Quidem « reclamantibus, obsistentibus et terribiliter anathematizantibus » cardinalibus romanis, ipse

(1) Petri Dam. vita, ap. Augustinum Fortunium, lib. V, *Historiarum Camaldulensium*.

(2) Circa Rom. ecclesiæ formam, vid. Baron., *Annal. eccles.*, t. X, p. 238. — De Ostiensis ecclesiæ prærogativis, Ughelli *Italia sacra*. Romæ, 1644, t. I, pp. 62, 63.

(3) Leo Ostiensis, *Chronicon Cluniacense*, lib. II, cap. 101.

(4) Petri Dam., epist. III, 4, ad archiep. Ravennatem.

erogata in populum pecunia, furentibus undique armatorum turmis, noctu intronizatus est.

2° Quum omnes qui obstiterant terrore compulsi fugerent, Ostiensis presbyter, « qui utinam syllabatim nosset vel unam paginam rite percurrere, » à satellitibus, absente episcopo, raptus est, qui pseudopontificem consecraret.

3° « Huc accidit quia piæ memoriæ Stephanus papa, congregatis intra ecclesiam episcopis, civibusque romanis, Clero et Populo Romano hoc sub districti anathematis excommunicatione statuerat, ut si eum de hoc sæculo migrare contingeret, antiquam Hildebrandus, Romanæ Ecclesiæ subdiaconus, qui cum communi omnium consilio mittebatur, ab Imperatrice rediret; papam nullus eligeret, sed sedes apostolica usque ad illius reditum intacta vacaret (1). »

Quapropter redux e Germania Hildebrandus Senas ad se cardinales et nobiles romanos convocavit, quorum suffragiis Gerardus, Florentinus episcopus, renuntiatus est pontifex et Nicolaus II appellatus (2). Mense januario MLIX coronatus est. « De electo hoc mihi videtur quia bene litteratus est, et vivacis ingenii, sine suspicione castus, in erogandis eleemosynis pius... Ille autem e contra (Joannes sc.) si unum non dicam psalmi, sed vel homiliæ quidem versiculum plane mihi valeat exponere, manus do, plantas osculor, et non modo jam Apostolicum, sed etiam Apostolum, si jubetis appello. »

(1) Petri Dam., epist. III, 4. Cf. *Chronic. Casin.*, lib. II, cap. 101.
(2) *Nicol. II vita,* ap. *Rerum ital. scriptores.* Mediolani, 1723, t. II, pars I.

Hæc Damianus ad Henricum, Ravennatem episcopum, a quo fuerat ea de re consultus. Qui simul suaserat ut litteras sibi, « taciturnitate signatas, » majori cautela remitteret. « Absit a me, respondit vir strenuus, ut in tali negotio dura prorsus et aspera perpeti subterfugiam... Imo peto ut epistola hæc in publicum veniat, sicque per vos quid super hoc totius mundi periculo sentiendum sit, omnibus innotescat (1). »

Justitiæ, veritatis, disciplinæque ingenuus amator Damianus erat, quas, si læderentur, nullo pacto cohiberi poterat quin aperte defenderet. At in corrigendis moribus ante omnia defixus, facile intellexit quam necesse foret ut omnibus vitæ melioris exemplum principes Ecclesiæ darent. Quare ad cardinales episcopos, cardinalis ipse scribere statuit. Sed quum, merito quidem, suspicaretur duram eos veritatem a pari viro non facile recepturos, hisce verbis callidior exorditur.

« Castrensium specularum, turriumve custodes, ut se promptius exhibeant intempesta nocte pervigiles, clamosas sibimet invicem sæpe dirigunt voces ; sic itaque, dum alios excitant, semetipsos utique ad peragendas excubias vigilantiores servant. Ego quoque, qui pro castris ecclesiasticæ militiæ stantium utcumque particeps esse coactus sum, ad vos, Venerabiles Patres, ista conscribo, et impolito stylo, quasi raucis vocibus perstrepo ; non ut vos sopor deserat, utpote strenue vigilantes, sed ut me potius excitem. » Quo dicto, ea collegas liberius edocet quæ hac ipsius sententia com-

(1) Hanc ad Cadaloi schisma refert epistolam Constantinus Cajetanus, vir sane eruditus, qui Damiani opera edidit. Manifestus error.

plectamur : « Verba vitæ populis non solum vocibus, sed et moribus nuntiemus (1). »

Quanta modestia fuerit Petrus ex illius epistola ad Damianum fratrem, Ravennatem tunc archipresbyterum colligere licet : « Superbia, inquit, libido, ira, impatientia, malitia, invidia, gula, ebrietas, concupiscentia, rapina, mendacium, perjurium supplantaverunt me ; atque omnia vitia, velut frementes bestiæ, devoraverunt animam meam. » Minime dubium quin vir modestissimus longioris jam vitæ peccata, quasi in confessione, ut dicitur, generali accumulet. Sequentia autem quamdam proprii ingenii notam, quod magis interest, aperiunt : « Unum inter hæc amarius defleo, quo me perniciosius obligatum, teste conscientia, recognosco ; scurrilitas nimirum mihi semper familiaris fuit, quæ et propter conversionem nunquam me perfecte deseruit. Sub specie namque spiritualis lætitiæ, dum me fratribus hilarem ostendere cupio, in vanitatis verba declino (2). »

Se molliori fuisse animo et ad iracundiam propensum alicubi confitetur, simulque quomodo obsistat aperit. « In me plerumque, ait, quod vix est acu vel spina leviter punctum, phalarico telo mihi videtur esse perfossum... Sed dicat ira quod vult, turgeat, sufflet, sæviat, intumescat, ego sibi membra mea non dabo, ut per ea, quasi per arma, quod conatur efficiat. Non linguam, non labia moveo... Hoc respondeo iræ quod

(1) Petri Dam., epist. II, 1.
(2) Epist. V, 2. Cf. Epist. IV, 9, *ad Oldericum episc. Firmanum.*

titillanti luxuriæ. Aliquando me libido succendit, inflammat, viscera concutit, genitalia subrigit ; sed, in his omnibus, faciat ipsa suis viribus contenta quod potest, nam meæ cooperationis auxilium habere non potest (1). »

Austerus licet et iracundus, summopere tamen amabilis Damianus est. Qui ad Oldericum, Firmanum episcopum scribit : « Mellifluam Vestræ Sanctitatis epistolam quanta cordis aviditate susceperim perseverantia probat. Illam quidem cohabitatricem mihi jugiter teneo, cum ea semper confabulor, in ea interioris vestri speciem, ac veri vultus imaginem manifeste complector (2). » Quanta autem suavitate saluberrima amico suo Desiderio, monasterii Casinensis abbati, consilia mittit. « Ego tibi, Venerabilis Frater, non bis sed sæpius scripsi ; verumtamen usque hodie ne unum quidem iota ut rescribere digneris extorsi... Quid igitur faciam ? Nam quia dormientem te impingens et vellicans excitare non valeo, pungam ; et sic saltem ut evigiles prævalebo... Ad hanc fortasse injuriam experrectus evigilabis, ut qui charitati denegaveras vicem, lædenti saltem redhibeas tallionem. Verumtamen quem tu tibi vides hoc hilariter suggerentem, juniores fratres sibi procul dubio deputent serio consulentem. » His præmissis, libentius sane Cluniacensis abbas Damiani consilia recipiet : ne propriis virtutibus studiosius attendat, vitia, quasi post tergum posita, negligens ; imitetur e contra pavonem, « qui nimirum pullinos et velut ignobiles pedes præ oculis

(1) Damiani, opusc. XL, *De frænanda ira,* cap. 9.
(2) Epist. IV, 9. Cf. III, 3, *Ad Gebehardum.*

semper habet, insignem vero caudæ pulchritudinem post se spectantibus præbet (1). »

At nunc magna Ostiensis episcopi misericordia et charitas. Cujus limen pauperum turba quotidie frequentante, « alii dapibus appositis reficiebantur, alii recepta stipe revertebantur ; ex quibus assumptis duodecim pedes assidue lavabat. Præterea, in suis conviviolis, quæ semper ex more cum hospitibus communicabat, si qui egeni circumquaque per regionem in lectulis decumbebant, oblivisci ab eo minime poterant... Aiebat enim se dominicarum rerum constitutum esse ministrum, non dominum ; dispensatorem, non possessorem (2). »

In sublevandis quoque animabus cura major. « Sæpe numero namque illum novimus acris febribus nocte confectum, mox, orto sole, ingressum Ecclesiam inchoasse solemnia ; et usque ad sextam fere horam, edita voce, in ore totius plebis protrahendo sermonem, non parvum nobis ex se præbuisse miraculum, quum et robustiorem viribus et clariorem eloquio cerneremus, quem jam pene defectum suspicabamur (3). »

(1) Epist. II, 11.
(2) *B. Petri Damiani vita,* per Joannem mon., ejus discipulum, cap. XVII.
(3) *Ibid.*, cap. XV.

CAPUT V.

De Petri Damiani eloquentia. — Quid de sacra eloquentia Damianus senserit. — Ipsius eloquentiæ fontes, forma, vitia. — Quod Damiano fuerit sermocinandi studium.

Damiani septuaginta quinque (1) sermones ad nos pervenere. De quibus antequam disseramus, operæ pretium est quidnam auctor ipse de sacra eloquentia senserit inquirere.

1° Magna sit in dicendo simplicitas : « Piscatorum, inquit, sum plane discipulus, ideoque non mare Demosthenis, nec torrentem commoveo Ciceronis (2). »

2° Quid credendum sit, quid agendum auditoribus indicetur : utilia, vera, certa, probata enuntiet prædicator, neque vana curiositate laboret. « Nonnulli autem, dum plusquam oportet sapere gestiunt, quis

(1) De quibusdam num Damiani sint dubium. Sermonem de S. Martino necnon utramque de S. Andrea homiliam Nicolao Clarovallensi attribuit Mabillon (*Sancti Bernardi opera,* t. II), Dacherius contra, in VII *Spicilegii* volumine, ed. in-4, Parisiis, 1666, quinque sub Damiani nomine sermones retulit quos postea Petri Ravennatis, seu Chrysologi esse comperit. (Spicileg., t. VIII, *Lectori.*)

(2) Dam., epist. v, 13.

pater vel quæ mater B. Mariæ fuerit, studio superfluæ curiositatis inquirunt... Sciendum vero est hunc esse morem scriptoribus sacri eloquii, ut sicut student semper silere quod obest, sic etiam referre despiciunt quod non prodest (1). »

3° Absit et mollior dicendi modus, quo graves et sacræ res infirmentur. « Solent mundana eloquentia eruditi locutionem suam rhetorici coloris suavitate componere; et quæque difficilia, quum volunt, blandis et exquisitis verbis levia demonstrare; ut si quando grave aliquid imperent, auditorem ad sua vota convertant. » Non ita Deus, qui Abrahamum allocutus : « *Tolle,* inquit, *filium tuum Isaac, quem diligis, et offer illum mihi in holocaustum* (2). »

4° Suo prædicator dignus ministerio sit, neque humanam laudem, plebisve favorem ambiat (3).

5° Duo prædicatori summopere necessaria, in epistola ad Cinthium, demonstrat Damianus, doctrinam scilicet et sanctitatem, qua multo efficacior eloquentia fit (4).

Ea simplicitas, ea sinceritas, gravitasque cum sanctitate vitæ in Damiani eloquentia concordant. Quod si nunc inquiratur unde sermonum materiam ceperit, dogmata reperimus, morum præcepta, historias. Non ita tamen ut factum quoddam enarrandum, seu definitam veritatem demonstrandam, aut certum inculcan-

(1) Dam., Homil. XLVI, *In nativ. B. Virginis.*
(2) Petri Dam., Serm. XXXII, *De S. Apollinari.*
(3) Epist. V, 12.
(4) Epist. VIII, 1.

dum auditoribus præceptum orator sibi, ut vulgo fit, exordiendo proponat : rem alio modo exsequitur. Memorato namque festo, mysteriove quod ea ipsa die celebratur, omnia posthac perito quodam artificio miscens, libere progreditur ; narrat, demonstrat, hortatur, corripit.

Uberes apud eum variique eloquentiæ fontes : sacra scilicet profanaque historia, legendæ, prodigia, mores, natura rerum, summa dogmatum sacrarumque præsertim Scripturarum scientia ; insuper, fecundum, fervens, acre ipsius oratoris ingenium. Patres autem Ecclesiæque doctores, quibus tamen studuerat, rarius adhibuit.

Inde duplex Damiani eloquentiæ forma : quæ summopere singularis et varia est.

Nonnunquam a quodam exorditur Sacrorum Librorum versiculo, quem deinde commentatur, recentiorum more (1). Cantum alias dixeris triumphalem (2) ; alias, lepore exordium est et quadam festivitate plenum : « Hodierna festivitas, dilectissimi, paschalis gloriæ lætitiam geminat et, velut pretiosa gemma, aurum cui imprimitur decore proprii splendoris illustrat. Apte nimirum hoc potissimum tempore (3) B. Georgio concessum est triumphare, quando transacta hiemalis inclementia turbinis, austri fomite resoluto, læta terra alacriter parturit, et erumpentibus diversis herbarum atque arborum floribus, tanquam adolescente, ut ita loquar, ætate pubescit. Merito igitur hodie beati hujus

(1) Homel. VII, *In Dominica palmarum.*
(2) Serm. IX, *De Annunciatione.*
(3) Die sc., XXIII april.

martyris anima, post cruentam furiosi principis rabiem, tanquam post hibernas furentium ventorum niviumque procellas, oraculum hoc divinæ meruit vocationis audire : *Veni columba mea, sponsa mea formosa mea; jam hiems transiit, imber abiit et recessit; flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit* (1). »

Sacræ Scripturæ sententiis abundant Damiani sermones, modo naturali sensu, modo morali, mystico sæpius usurpatæ (2). Neque theologicæ rationes desunt, subtiles quandoque et acutæ, sanæ semper. Quærenti cur a Deo sanctos tentari et cadere permittatur, « breviter respondemus. Sancti et enim viri, qui per divini muneris gratiam ad perfectionis culmen elevantur, quamdiu in hac vita sunt, ne aliqua elatione superbiant, quibusdam tentationibus reprimuntur, ut nequaquam tantum proficere valeant quantum volunt. Ne igitur extollantur per superbiæ vitium, fit in eis quædam mensura virtutum (3). »

Non solum autem justos cadere permittit Deus, verum etiam maximos peccatores suscipit et extollit, quales Petrum et Paulum. « Quid est quod sic labuntur qui præficiuntur Ecclesiæ? Sapientia suaviter disponens omnia hæc ideo fecit ut in se ipsis prædicti principes discerent qualiter aliis miserere deberent (4). »

Sublimes aliquando sensus apud Damianum invenias, quorum exemplum unum hic referre satis sit. De Gabriele archangelo et Joanne Evangelista ait : « Qui

(1) Cant. II, 10-12. — Serm. XIII, *De S. Georgio.*
(2) Serm. VI, LII, LIII, LXXI.
(3) Serm. XVIII, *De S. Vitale, martyre.*
(4) Serm. XXVII, *De SS. Apost. Petro et Paulo.*

bene leones dicuntur, propter rugitum altisonæ vocis : duo enim verba nuntiaverunt orbi terræ, qualia nec dicta sunt nec dicentur, et in quorum comparatione omnia debeant muta apparere. *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum,* ait Angelus. Audis ne, in hoc verbo, Incarnationem Dei, Redemptionem hominum, renovationem mundi? *In principio erat Verbum,* ait Evangelista. Animadvertis hic Verbi divinitatem, Ecclesiæ fidem (1)... »

Est et ubi vela pandit pium simul et audax oratoris ingenium (2) ; est et ubi ætatis illius mores sagaciter observatos subtili stylo describit : modo de episcopis (3), de monachis (4), aut canonicis (5) ; modo de virginibus superbis (6), de confessariis (7), de confitentibus disserens. Neque, si gulæ velit horrorem injicere, liberas poetarum voces ipse abhorreat : « Statim recrudescunt affectus, cogitationes rebellant, vivæ proponuntur imagines. Ingurgitati enim, non confortati, impleti nec nutriti, et corpore et corde distendimur ; completur istud satyricum :

Inguinis et capitis nullum discrimen habetur (8).

(1) Serm. XLIV, *In Nativ. B. Mariæ.*
(2) Serm. XL, *De Assumpt. B. Virginis.*
(3) Serm. V, *De S. Severo.*
(4) LVII, *De S. Nicolao.*
(5) LXIX, *De Dedicat. Ecclesiæ.*
(6) Homil. XLIV, *In Assumpt.*
(7) Serm., *De S. Andrea, ap.*
(8) Serm. LVI. Apud Juvenalem legitur :

. . . . *Quid enim venus ebria curat ?*
Inguinis et capitis quæ sint discrimina nescit.

(Juv,, sat. VI, 300-301.)

Gratiores puellæ : « Solent autem sponsæ nobilium diversas pigmentorum species mandendo per ora revolvere ut, advenientibus procis, fragrantius valeant ac suavius redolere (1). »

Sui temporis usus hac illac Damianus, data occasione, describit (2). Naturam quoque, pius amator, sæpius invocat : christiani sunt arbores et agricultura Dei ; « Sed sicut arbor, si vegetantis succi humore deseritur, protinus exsiccatur, sic et anima nostra, nisi Spiritus Sancti gratiæ fuerit rore perfusa, funditus arefacta, ad nullius sanctæ operationis germen potuit esse fecunda (3). »

Damiani eloquentiæ vitium multiplex. Tria tantum hic notabimus, quæ rudi ætatis hujus ingenio sunt potiusquam ipsi auctori tribuenda.

1° Quidem mysticarum interpretationum abusum, quas ex industria Damianus prosequitur (4). Neque solum Scripturæ sententias, sed et numeros mystice interpretatur ; qui mos a veteribus jam usurpatus, ad recentiora usque tempora pervenit. Si quæras quare duodecim fuerint apostoli, respondet Damianus : « Quoniam ter quaterni duodecim fiunt, et rationis ordo poscebat ut duodecim eligerentur apostoli qui S. Trinitatis fidem spargerent per quatuor partes mundi (5). »

2° Circa virorum nomina plus æquo cavillatur S.

(1) Serm. LXXIII, *De spirituali certamine.*

(2) Serm. LXIX, *De Dedicat. Ecclesiæ*, circa modum consecranti reges, episcopos, ecclesias.

(3) Homil. XXI, *De Spirit. sancti gratia.* Cf. sermo XXVII, et præsertim opusc. LII.

(4) Serm. LXXI, *In Dedicat. Ecclesiæ.*

(5) Serm. XLVIII, *De Exaltat. S. Crucis.* Cf. homil. XLVI, *De Nativit. B. Virginis.*

Doctor. Sic Hilarius ab hilaritate deductus; Cadalous à *cado* λαος, quasi ruina populi sit; sic et S. Georgius, nominis habita ratione, agricolæ comparatur. In sermone autem de SS. martyribus Laurentio et Pergentio legere est : « Non sine quodam dispositionis supernæ præsagio tale vocabulum sortiti sunt ut Pergentius dicantur et Laurentius. Pergunt enim uterque ad lauream. »

3° A proposita sententia ad aliam plane diversam quandoque Damianus nimia facilitate transit. Consulto quidem: « Nam quum quis piscaturus egreditur, si casus attulerit, feram repente vel volucrem capit, etiamsi nil de venatione vel aucupio proposuerit... Quid igitur mirum si scribentes aliquando quod cœptum est intermittimus (1)? »

Breves Damiani sermones, utpote qui dimidiam horæ partem vix unquam excesserint. Dicenti « erectis auribus ab omnibus intendebatur (2). » Erant tamen qui vellicabant ; quod ægre ferens Damianus, obtrectatores vicissim insequebatur. « Quia contra rusticos, inquit, et imperitos, ac prorsus litterarum ignaros loquor, dignum est ut, eis congruens, rustice, proloquar. » Tum philosophum illum inducit qui dum nocte stellarum cursus considerat, in puteum sordibus plenum ruit, necnon ejus ancillam dicentem : Dominus meus ignorabat stercora quæ sub ejus pedibus erant, et nosse tentabat sidera. « Hoc itaque modo fit in diebus nostris ut rustici et insipientes quique, qui nihil pene

(1) Opusc. xix, cap. 4.
(2) *Vita Petri Dam.,* per Joannem mon., cap. xv.

noverunt nisi vomeribus arva proscindere, porcos ac diversorum pecorum captabula custodire, nunc in compitis ac triviis, ante mulierculas ac combubulcos suos non erubescant de scripturarum sanctarum sententiis disputare; immo, quod turpe est dicere, qui tota nocte subeunt inter crura mulierum, die non verentur tractare de sermonibus angelorum (1). »

Per totam romanam provinciam, sibi undique contiguam clericos Petrus congregabat, qui canonum instituta deserentes, a communi vita prorsus recesserant, « et in singulis laribus una cum mulierculis sæculariter degebant. » Sextæ feriæ interea jejunium, recitandasque B. Virginis horas quocumque propagabat; omnesque Deo lucrari cupiens, si quo forte, solemnitatis causa, populi turba conflueret, accurrebat ipse qui tot et tam incultas hominum mentes ad cœlestia raperet. « Hujusmodi namque lucri gratia longe diurnam lucem multoties eum prævenire conspeximus, si talis conventus longiuscule fieret, ne competens sermocinandi sibi hora transiret (2). »

At mox maximis Ecclesiæ negotiis immixtus est.

(1) Petri Dam., epist. v, 1.
(2) *Vita B. Petri Dam.,* per Joannem mon. ejus discipulum

CAPUT VI.

De statu Mediolanensis Ecclesiæ. — A Landulpho Arialdoque mota seditio. — Fontaneti synodus. — Damianus a Nicolao II res componere jussus. — Quare cœptum minime successerit. — Legatus Mediolanum Damianus mittitur. — Quæ peregerit Hildebrando refert.

Duplici jamdudum vitio Mediolanensis Ecclesia laborabat : plerique enim simoniaci aut uxorati clerici erant. Quos mores ipse Heribertus archiepiscopus, vir inclytus, summaque per totam superiorem Italiam auctoritate potens, nimia quadam mansuetudine fovebat ; quippe qui ordinandos juvenes soleret interrogare num in virginitate permanere valerent. Si quis autem se tanto oneri imparem confiteretur, virgo ei, annuente episcopo, desponsabatur uxor. Nec ideo civium in hunc veneratio minor, adeo mos invaluerat. Econtra, « qui sine uxore vitam in sacerdotio agere videbantur, viris uxoratis, ordinis utriusque, ne ab illis inhoneste circumvenirentur, suspecti erant (1). »

Ita se res habebat quum Heribertus defunctus est

(1) Landulphi senioris Mediolanensis historia, lib. I, cap. 35, ap. *Rerum Italicorum scriptores,* t. IV.

(MXLV). Tum populus, clerusque Mediolanensis, de more congregati, quatuor summæ prudentiæ viros elegerunt, ut ex eis imperator quem libuerit archiepiscopum declararet. Qui fuerunt : Landulphus Cotta, sacri palatii notatius ; Anselmus de Badagio, Otho, uterque Mediolanensis ecclesiæ canonicus ; et Arialdus de Carinate. Ast interea pars quædam nobilium pro Guidone, valvassorio de Velate, imperatorisque secretario, steterat. Res imperatori delata ; qui, cæteris exclusis, acceptaque pecunia, Guidonem per baculum et annulum investivit (1). »

Civilis inde tumultus origo. Namque imperatoris nobiliumque auxilio fretus, populo archiepiscopus cleroque suspectus esse cœpit, competitoribus suis odiosus. Res eo devenere ut quum primum ecclesiam penetravit, sacra celebraturus, tota clericorum corona, rite pro cujusque gradu ornatorum, quasi signo dato, spectante miranteque populo, recesserint ; solum archiepiscopum relinquentes, qui tamen, lacrymis perfusus, solemnia mysteria peregit. Postea vero facile perspexit clerum populumque duas in partes dividi posse, quarum altera ipse niteretur ; cumque adversarii canonum regulam in electionibus cæterisque rebus prætenderent, irregularibus ille clericis, matrimonii scilicet, concubinatus, simoniæve macula inquinatis, indulgere cœpit ; simulque Anselmo de Badagio quem sibi omnium infensissimum repererat, committendum ab imperatore Lucensem episcopatum curavit.

(1) Galvaneus Flamma, in *Chronico majori*, cap. 763. — Landulphi senioris, *Mediolan. hist.*, III, 1. — Ughelli *Italia sacra*, 1644, t. IV, col. 107.

In pejus omnia ruere. « Erat enim tum ordo ecclesiasticus in tot erroribus seductus, ut ex illo vix quispiam existeret qui in suo loco veraciter reperiri posset. Nam alii cum canibus et accipitribus huc illucque pervagantes suum venationi lubricæ famulatum tradebant; alii vero tabernarii et nequam villici, alii impii usurarii existebant; cuncti fere cum publicis uxoribus, sive scortis, suam ignominiose ducebant vitam; omnesque quæ sua erant, non quæ Christi quærebant. Nam, quod sine gemitu dici vel audiri nec potest, nec debet, universi sic sub simoniaca hæresi tenebantur impliciti, quatenus a minimo usque ad maximum nullus ordo vel gradus haberi posset, nisi sic emeretur quomodo emitur pecus (1). »

At Anselmus, Lucensis episcopus, Landulphum ad se Arialdumque convocavit. Qui sacerdotibus et levitis uxores esse nunquam se passuros jurejurando polliciti, dataque et accepta fide recesserunt, ut idem a civibus, scholaribusque præsertim, si possibile foret, obtinerent (2). Tum per plateas et in ipsis ecclesiarum gradibus prædicare cœperunt ut ab uxoribus clerici separarentur. « En ipsi, ut cernitis, dicebat Arialdus, palam uxores ducunt, stuprum quemadmodum scelesti laici sequuntur; atque ad nefandum hoc opus patrandum, tanto sunt validiores quanto à terreno labore minime oppressi, videlicet viventes de dono Dei (3). »

Illi autem respondebant « quod nemo castitatem ha-

(1) *Vita B. Arialdi*, auct. Andrea Vallombrosano, ejus discipulo, ap. *Acta Sanctorum*, t. XXVII.

(2) Landulph., lib. III, cap. 4.

(3) *In Vita B. Arialdi*, ap. *Acta Sanctorum*.

bere potest, nisi datum sit à Deo. » Vocatos Landulphum et Arialdum clementer archiepiscopus admonuit ne quid grave per ipsos scandalum oriretur. « Nostri sacerdotes, inquit, usque hodie nec sunt nec vocati sunt adulteri ; sed curiose observant apostolorum præceptum ut sint unius uxoris viri. Unde B. Ambrosius dixit : *Nulli licet scire mulierem, præter uxorem ; ideo tibi conjugii datum est jus, ne in laqueum incidas iniquitatis et cum aliena muliere delinquas* (1). Præterea, fratres carissimi, quanta mala, quantæ dissentiones nefandissimæ, quantaque homicidia ex his possint verbis oriri percipite (2). »

Moti primum, sed mox juramenti memores, Landulphus Arialdusque se nunquam, donec vita superesset, tacituros declararunt.

Ea autem tempestate, quum magno civium sexus utriusque concursu B. Nazarii translatio celebraretur, illi, opportunitate usi, sacerdotes quacumque per urbem ob conjugium diffamare, clerici vices reddere « quasi sues cum canibus altercarentur. » Imo sacerdos quidam, nimia sane indignatione commotus, gravem Arialdo colaphum impegit. Tunc in theatrum concurrunt ; ibique Arialdus immodesta multa, ridente plaudenteque populo, protulit.

Finitam Arialdi orationem iteravit graviore sermone Landulphus : « *Carissimi seniores, conceptum in corde sermonem ultra retinere non valeo. Dicite mihi : Creditis ne in Deum Trinum et Unum?* Respondent omnes :

(1) V. Puricelli, *Dissertatio utrum S. Ambros. clero suo Mediolan. permiserit ut virgini nubere semel possit.* Ap. *Rerum Italic. script.*, t. IV.
(2) Landulph., III, 6.

Credimus. Et adjecit : *Munite frontem signo Crucis*. Et factum est. Post hæc ait : *Condelector vestræ devotioni; compatior tam imminenti magnæ perditioni. Multis enim retro temporibus, non est agnitus hac in urbe Salvator... Abundant stupra multimoda, hæresis quoque illa simoniaca in sacerdotibus et levitis, quorum sacrificia idem ac si canina sint stercora, eorumque basilicæ jumentorum præsepia* (1). »

His et similibus concitata plebs per civitatem, « quasi maris tempestas, » circumvagatur, sacerdotum domos irrumpens, turpissimis eos uxoresque vocibus insecuta, fustibus et gladiis sine misericordia feriens, omnia deripiens, « utpote qui rapinam magisquam Deum amarent (MXLVI). »

Quo facto, Romam conjurati properant ut S. Sedis auctoritatem rebus à se peractis adderent ; simulque clerus Mediolanensis de illata sibi injuria questus est. Quare provincialis, juxta canonicum ordinem, Fontaneti congregata synodus ; ubi a metropolitano, conspirantibus episcopis, qui proprio clero sibique timebant, quæstio consopita. Facti autem auctores excommunicati. Qui litem Romam denuo detulerunt, a S. Pontifice denique dirimendam. Omnes Ambrosianæ Ecclesiæ clericos simoniacos esse, Nicolaitas (2), necnon in Romanam Ecclesiam contumaces contendebant.

(1) Arnulphi Mediolanensis, *Rerum sui temporis*, libri V, lib. III, cap. 9. Rei testis Arnulphus extitit « Nostris adhuc, inquit, versatur in oculis. » (Cap. 8.)

(2) Nicolaus, de quo, *Act. Apost.*, VI, 5, dixerat *exercendam esse carnem*, quod pessimo sensu nonnulli acceperant. De Nicolaitis cf. Petri Dam., opusc. XVIII, c. 8; Clem. Alex., *Strom.*, III, 4; Massuet, *Dissert. sur S. Irénée*, p. 66 et 67.

Stephano interea successerat Nicolaus II (MLVIII), qui circa reformandos clericorum mores, Sanctæque Sedis auctoritatem ubique confirmandam cum Stephano Hildebrandoque omnino consenserat. Veritus autem ne tot sacerdotum episcoporumque vitam ac ministerium publica sententia dehonestaret, negotium Damiano dedit ut, omnia discreto mansuetoque animo concilians, ipsos ad meliora, si foret possibile, reduceret.

Incepto tristis exitus. Damianus enim hoc in negotio expertus est quod sæpius in synodis sibi accidisse queritur : « Reos scilicet non tantum sibi nihil timentes, sed etiam ad aliorum flagitia defendenda impudenter accinctos (1). »

Tentatæ conciliationis rationem pontifici reddidit (2). « Nuper habens cum nonnullis episcopis, Vestræ Majestatis auctoritate colloquium, sanctis eorum femoribus volui seras apponere, tentavi genitalibus sacerdotum, ut ita loquar, continentiæ fibulas adhibere (3). »

Quæ res minime, duplici quidem ratione, successit : « Primo quia fastigium castitatis attingere se posse desperant ; deinde quia synodali se plectendos esse sententia, propter luxuriæ vitium non formidant. » Romana enim Ecclesia « de clericorum libidine propter insultationem secularium conticescit. » Immerito sane ; « si enim malum hoc esset occultum, fuerat fortassis ut-

(1) Opusc. XII, cap. 31.
(2) Opusc. XVII, *De celibatu sacerdotum.*
(3) Inter *cervicosos Lombardiæ antistites* inscribuntur, cum Guidone Mediolanensi, Taurinensis, Astensis, Albensis, Vercellensis, Novariensis, Brixiensis, Laudensis, in *Vita Nicol. II,* ap. *Rerum Italic. script.*, t. III, pars I, p. 300.

cumque ferendum, sed, ah scelus ! omni pudore postposito, pestis hæc in tantam prorupit audaciam ut per ora populi volitent loca scortantium, nomina concubinarum... Et ne quid assertionibus deesse videatur, testimonio sunt discursio nuntiorum, effusio munerum, cachinnantium joci, secreta colloquia, postremo, ubi omnis dubietas tollitur, uteri tumentes et pueri vagientes. Ergo præ pudore nescio quomodo supprimatur in synodo quod publice vociferatur in mundo. »

Vehementi dein eloquentia in fornicantes Damianus episcopos invehitur. « Enim vero, quum Dominus dicat : *Nolite Sanctum dare canibus* (1), quod de te judicium erit, qui corpus tuum, quod utique sanctificatum est per consecrationis accessum, non canibus, sed lupanaribus tradis ?... Ad impositionem manus tuæ descendit Spiritus Sanctus, et tu eam adhibes genitalibus meretricum (2). »

Ipsum denique pontificem allocutus : « Tu autem, Domine mi, Venerabilis Papa, qui Christi vice fungeris, noli pestem hanc per ignaviam ad incrementa perducere ; noli connivendo et dissimulando grassanti luxuriæ frena laxare. » Deponantur « qui ecclesiasticæ castitatis non verentur fœdare munditiam, et dejecti deterreant quos male stantes ad turpis luxuriæ contumeliam provocabant. »

Motus tanti auctoritate viri, maloque efficax remedium adhibere paratus, hos legatos Mediolanum Nicolaus mittere decrevit, qui certo constantique animo

(1) Matt., VII, 6.
(2) Opusc. XVIII, c. 3.

rem peragerent, ipsum nempe Damianum et Anselmum de Badagio, Lucensem episcopum. Quæ autem hac in legatione acta sint Damianus Hildebrando retulit.

Debita primum S. Sedi veneratione legati recepti sunt; qua de re venissent aperuere. At postera die, instigantibus clericis, in populo repente murmur exoritur : « Non debere Ambrosianam Ecclesiam romanis legibus subjacere, nullumque judicandi vel disponendi jus Romano Pontifici in illa sede competere. *Nimis indignum*, inquiunt, *ut quæ sub progenitoribus nostris semper extitit libera, ad nostræ confusionis opprobrium nunc alteri, quod absit, ecclesiæ sit subjecta.* » Tum magnus in urbe clamor, resonat tintinnabulum, prægrandis æneæ tubæ sonitu tota civitas perstrepit, ad episcopale palatium undique concurritur : « intentabant mihi, ut ita loquar omnia mortem (1). »

Auctus populi furor quum Damianus, congregatis quasi ad synodum totius Ambrosianæ ecclesiæ clericis, ipse, medio sedens, Anselmum ad dexteram, Mediolanensem vero archiepiscopum ad sinistram sedere jussit. Unde subito factus in urbe tumultus, « non quidem gratia Widonis, sed Ambrosiani causa honoris (2). » Quo vix composito, pulpitum ascendit Damianus, hisque verbis exorsus est :

« Noverit charitas vestra, dilectissimi, non me pro honore Ecclesiæ Romanæ huc venisse, sed vestram gloriam quærere; vobis salutem et gratiam, quæ in Christo est, cum ejus consilio, si permittitis, providere. Quo enim pacto honore indiget parvuli hominis quæ

(1) Petri Dam., opusc. v, *Actus Mediolani.*
(2) Arnulph., *Hist. Mediol.*, III, 12.

laudes atque præconia ex ipsius ore sortita est salvatoris? Quæ autem provincia, per omnia regna terrarum, ab ejus ditione extranea reperitur, cujus arbitrio ipsum quoque cœlum et ligatur et solvitur. »

Tum ostendit Roma venisse apostolorum discipulos, qui Mediolanensem, antiquis temporibus, ecclesiam condiderint: Romana Ecclesia mater, Mediolanensis filia est. Qui ordo semper est observatus, ipseque B. Ambrosius, « quum hanc Nicolaitarum sordem ad multorum fœtere perniciem in hac urbe doleret, eamque per se solus coercere non posset, Sedis Apostolicæ quæsivit auxilium. »

His dictis populus, furore deposito, exsecuturum se quidquid Damianus injunxerit pollicetur. Inquisitione facta, « Vix e tanto numero quispiam promotus ad ordinem sine pretio reperitur. » Quisquis enim, ipso fatente episcopo, ad clericales ordines provehendus accedebat, « de subdiaconatu quidem duodecim nummos, de diaconatu vero decem et octo, postremo de presbyteratu suscipiendo vigenti quatuor, quasi præfixam conditionis regulam dabat. »

Inde magnopere solliciti legati: quomodo in totum tantæ tamque inclytæ diœceseos clerum sæviant? Si autem alios plectant, aliis ignoscentes, ubi justitia, quum eodem omnes vitio polluantur? Ita dubitantibus in mentem recurrit Innocentii papæ sententia: *Quod a multis peccatur inultum est.* « In arcto positi, quia non poteramus mala illius ecclesiæ mera canonum auctoritate corrigere, studuimus saltem perversis ejus usibus finem imponere. »

Quibus ita dispositis, Guido, Mediolanensis archi-

episcopus, in litteris ad Clerum Populumque Mediolanensis Ecclesiæ, duplici sese solemniter promissione obstrinxit :

1° Ordinationes fore deinceps gratuitas ;

2° Non presbyteros modo, sed et diaconos et subdiaconos ab uxorum et concubinarum consortio arcendos.

In alterutro delinquentibus decretum anathema. « Postmodum accedens ipse archiepiscopus ante sanctum altare, præsente domno Lucensi, juravit in manum meam dicens : *Si hæc de Simoniaca et Nicolaitarum hæresi delenda et funditus destruenda fideliter non observavero, ab omnipotenti Deo et omnibus sanctis sim excommunicatus et anathematizatus, et ab omni christianorum consortio inveniar alienus.*

« Similiter et Vicedominus, et Cancellarius ejus, et omnes alii qui aderant clerici, manus suas in manum meam dederunt, et hæc eadem excommunicationis et anathematis verba dixerunt. »

Quo facto, archiepiscopus, humi prostratus injungi sibi pœnitentiam deprecatur. Hanc centum annorum Damianus indidit, præfixa pœcuniæ summa quotannis redimendam. Juravit postea archiepiscopus, in Ecclesia Majori, coram populo, cujus maxima pars idem jam contra simoniacos et Nicolaïtas juramentum præstiterat. Injuncta demum clericis pœnitentia est (1).

Sic extincta duplex a Damiano hæresis, Sanctæque Sedis confirmata auctoritas. « Qui ad honestatis et

(1) Damiani, opusc. v, *Actus Mediolani.*

rectitudinis statum non tantum ipsam ecclesiam, sed et totam Mediolanensem provinciam per gratiam Dei reduxit (1). » Hæc autem nonnullis displicuisse constat : « O insensati Mediolanenses, exclamat Arnulphus (2), quis vos fascinavit? Heri clamastis unius Sellæ primatum... Forte dicitis : Veneranda est Roma in Apostolo. Est utique ; sed nec spernendum Mediolanum in Ambrosio. Certe non absque re scripta sunt hæc in romanis annalibus. Dicetur enim in posterum subjectum Romæ Mediolanum (3). »

Multos facti pœnituit, nec ita multo post ad Arialdum, Herlembaldum aliosque scribebat Damianus : « Nicolaitarum hæresis, quæ vobis nobiscum laborantibus videbatur extincta repullulat. Ecce qui prius Nicolaitarum et Simoniacæ hæreseos laqueis tenebantur, nunc ad perditionis suæ cumulum sunt etiam violato sacramento perjuri (4). »

Octo tandem post annos (MLXVII) omnia composita sunt (5).

(1) *Vita Nicol. II.*
(2) *Mediolan. Histor.*, lib. III, c. 13.
(3) « Mediolanensis ecclesia, quæ superbiæ fastu per ducentos fere annos a subjectione Romanæ Ecclesiæ insolenter se substraxerat, prima inter alias eam majorem humiliter recognovit. » (*Vita Nicol. II.*)
(4) B. Petri Dam., epist. v, 14 et 15.
(5) *Harduin Concil.*, t. IX, p. 119. — *Labb.*, t. IX, p. 119.

CAPUT VII.

De Cadaloo antipapa qui et Honorius II nuncupatur. — Synodale Nicolai II de eligendo pontifice decretum. — Alexander II canonice Caladous autem schismatice electus. — Ad hunc scribit Damianus ut resipiscat. — Scribit et ad Henricum IV regem. — Liber cui titulus *Disceptatio synodalis*. – Damnatus in Osboriensi concilio Cadalous.

Pontificum electio penes Tusculanos principes diutius fuerat. Quapropter Romani, ut istius patrocinii jugum excuterent, ad Henricum III imperatorem recurrere. Mutata solum dominatio. Henricus enim convocato apud Sutriacum concilio (MXLVI) Suidgerum, prout jam diximus, Bambergensem episcopum, Clementis II nomine ad S. Sedem evehendum curavit, a quo dein obtinuit ut nulla deinceps romanorum pontificum electio fieret quin ab imperatore confirmaretur. Unde factum ut Romani, ne qua forsan oriretur contentio, consecrandos pontifices ab ipso imperatore peterent. Sic e Germania Leo IX et Victor II missi.

Tristem hanc Ecclesiæ servitutem Cardinales, Clerusque romanus, in primis Hildebrandus magnopere dolebant. Quare, defuncto imperatore (MLVI) cuncta

sunt reparare moliti. Post Victorem II, Stephanus IX (MLVII) ; post Stephanum, Nicolaus II (MLVIII) canonice electi. Petita tantum electionis ab imperatrice sanctio.

Nicolaus autem, auctore Hildebrando, ne res postea in pristinam conditionem denuo laberentur, concilium Romæ in Lateranensi palatio habuit (april. MLIX) ; ibique decretum ut « in primis cardinales episcopi diligentissime simul de electione tractantes, mox ipsi clericos cardinales adhibeant ; sicque reliquus clerus et populus ad consensum novæ electionis accedat... Salvo debito honore et reverentia dilecti filii nostri Henrici... Sicut jam sibi concessimus et successoribus illius qui ab Apostolica Sede personaliter hoc jus impetraverint. » Terribile latum contra decretalis hujus sententiæ temeratores anathema (1).

Mortuo Nicolao (MLXI), scissio facta. Quicumque liberam Ecclesiam, reformatosque mores volebant, pro canonibus stetere ; Simoniaci autem et Nicolaitæ, pro imperio. Schisma in Longobardia ortum. Nam hujusce regionis episcopi, utpote qui omnes ferme simoniaci concubinariive forent, instigante Guiberto Parmensi, imperii cancellario, in synodum cum innumeris clericis congregati, decreverunt nullum se pontificem nisi ex ipsis, in illo, ut aiebant, Italiæ paradiso electum, recepturos. Missi tum ad Agnetem imperatricem legati, qui imperii jura in eligendo Pontifice proclamarent.

Missus et à Romanis Stephanus cardinalis, qui ab

(1) Baronius, *Annal. eccles.*, ad ann. 1059, nº 25. — Coleti, *Sacrosancta Concilia,* t. XII, p. 50. — Platina, *De vita Nicol. II.*

Agnete ne receptus quidem, integras quas deportaverat litteras Romam retulit. Tum cardinales, Hildebrandi potissimum consilio, Anselmum de Badagio, Lucensem episcopum, elegerunt, qui Alexander II nominatus est, die XXX sept. MLXI (1).

Quo cognito, Cisalpini episcopi, irritam electionem declarantes, Cadaloum, Parmensem episcopum, pontificem proclamarunt; rei auctores Vercellinus, Placentinusque episcopi, publico in concubinatu viventes. Cadalous ipse concubinarius et simoniacus erat. Hunc regis ministri acceperunt, instante potissimum Gerardo, Galeriæ comite, qui fuerat, utpote insignis latro, à Nicolao II excommunicatus. Omnes autem concubinarii simoniacive sacerdotes exultabant (2).

Ad Cadaloum continuo scripsit Damianus ut imminentes Ecclesiæ Italiæque clades averteret.

In hac autem epistola tria potissimum demonstrat;

1° Cadaloi electionem, e Nicolai decreto, esse nullam.

2° Indignos, qui rem perpetraverant : « Multum sane lætificat quod hujusmodi te pontificem elegerunt, Placentinus videlicet et Vercellinus, qui nimirum multum petulci ac proletarii, sicut norunt disputare de specie mulierum, sic utinam potuissent, in eligendo pontifice perspicax habere judicium (3). »

(1) Petri Dam., *Disceptatio Synodalis*. — *Chronic. Casin.*, lib. III, 1, 21. — Baron., *Ann. eccles.*, ad ann. 1061.

(2) Petri Dam., *Disceptatio Synodalis. Vita Alexandri II*, ap. *Rerum Italic. script.*, t. III, pars I.

(3) Petri Dam., epist. I, 20.

3° Indignum et ipsum Cadaloum, qui triplici jam concilio damnatus, in eo fuit ut illico deponeretur, nisi Apostolica Sedes maternæ pietatis affectu fuisset eum complexata ; cujus demum vitia, abdita prius in oppidulo, jam nunc erumpere et totam per Italiam divulgari cœperunt. « Hoc siquidem tibi contigisse probatur quod transgressori cuilibet per Hieremiam dicitur. *Propter multitudinem iniquitatis tuæ revelata sunt verecundiora tua... Unde et ego nudavi femora tua contra faciem tuam, et apparuit ignominia tua, et adulteria tua et hinnitus tui, scelus fornicationis tuæ* (1). »

Cadaloum Damianus, ad epistolæ calcem, eodem anno moriturum vaticinatur :

Non ego te fallo, cœpto morieris in anno.

Simul ad ipsum juniorem regem litteras Damianus misit. « Scribantur, inquit, annales; texatur historia quæ dicat quia Nerva, clementissimus imperator, pacificavit Ecclesiam, Constantinus confirmavit, Theodosius exaltavit; et, quum perventum fuerit ad te, gloriosum ne tibi est, si dicatur : Henricus divisit ? » Tum Sacerdotii et Imperii unionem celebrat. « Rex præcingitur gladio ut hostibus Ecclesiæ minister occurrat. Si ergo tu es minister Dei, quare non defendis Ecclesiam Dei ? Cur armaris, si non prœliaris ? Porro veraciter sine causa gladium portas, nisi resistentium Deo colla transfodias (2). »

Nec moti Henrici regis ministri, nec ipse Cadalous,

(1) Jerem., XIII, 22, 26.
(2) Petri Dam., epist. VII, 3.

qui, die XIV aprilis MLXII, Romam usque cum armatis progressus est, et in Neronianis agris, non longe a Vaticano, castra locavit. Commissum certamen, in quo innumeri periere romani. Victoria primum pro Cadaloo stetit. At paulo post advenit Godefridus, Tuscorum dux, adeoque pressus Cadalous est, ut multis precibus ac largitionibus vix evaserit. Parmam igitur regressus, ab incepto minime destitit.

Huic iterum scripsit Damianus, profusam per populum pecuniam criminatus, « tantamque plebis invalidæ atque bellorum imperitæ stragem, ut cœsorum numerus ignoretur (1). »

At eodem fere tempore, cuncta in imperio mutata. Namque primates, paucis post Pascha diebus (MLXII), juniorem regem, decem annos natum, matris tutelæ subreptum, Annoni Coloniensi archiepiscopo, tutandum educandumque commiserunt. Qui factus imperii princeps, ut schismati finem imponeret, suo Guibertum Parmensem officio dejecit, synodumque Osborium, in Saxonia, convocavit, quæ controversiam dirimeret.

Quo audito, Damianus, Alexandri rursum causam suscipiens, inter Henrici regis advocatum, Romanæque Ecclesiæ defensorem, quasi in concilio disputantes, dialogum instituit, cui titulus: *Disceptatio synodalis* (2). Duo præsertim in eo libello auctor confirmare nititur : primo quidem Alexandrum legitimum esse pontificem ; dein regale jus, in illius electione, minime læsum.

Imperatoris assensum non esse in Romani Pontificis

(1) Petri Dam., epist. I, 21.
(2) Quæ est Petri Dam., opusc. IV.

electione necessarium facile probatur, quum assensus ille omnibus fere pontificibus, nullo reclamante, defuerit ; quod regius verum fatetur advocatus. Ipse vero argumento duplici regiam prærogativam fulcire aggreditur.

1° Enim Henricus III Romanorum patricius factus est, a quibus in eligendo pontifice principatum accepit. Jus autem illud a patre Henrico IV transmissum.

2° Imo hanc Henrico IV, nec non ejus successoribus prærogativam, synodali decreto, Nicolaus nuperrime confirmavit.

Ratam esse integramque manere regis prærogativam assentitur alter ; a re constituta fatetur fuisse in eligendo Alexandro declinatum ; jure autem factum contendit. Rex enim, utpote parvulus, rei est inhabilis ; ejus ergo vices, Romana Ecclesia, tanquam mater et patrona, suscipere potuit. Imo debuit ; nam instante civilis belli periculo, quantocius eligendus erat pontifex, neque morandum donec e Germania regalis assensio veniret.

Regius autem respondet advocatus :

1° Existere Nicolai decretum, quod infringere nefas ;

2° Non tantum fuisse civilis belli periculum ;

3° Nec tantam in electione celeritatem adhibitam, quum tres Nicolai mortem inter et Alexandri electionem menses elapsi sint.

In angustias ita compulsus Ecclesiæ defensor, crimen in adversarios retorquet : ipsos enim incredibili quadam audacia Nicolai violavisse decretum ; ipsos à Romanis cum litteris apostolicis missum Stephanum cardinalem ne recepisse quidem. Tum ponitur dirimenda quætio :

utrum pontifex accipiendus sit Cadalous, vitiose electus, in quem, « teste mundo, omnium vitiorum sentina confluxit, an ille potius quem cardinales episcopi unanimiter vocaverunt, quem clerus elegit, quem populus expetivit, non in extremitate terrarum, sed intra mœnia Romanorum et in ipsius Sedis Apostolicæ gremio. »

Se victum fatetur regius advocatus, scriptoque finem imponit Damianus Sacerdotii Imperiique unionem celebrando, dummodo tamen Imperium subjaceat : « Pontifex, tanquam parens, paterno semper jure præemineat; Rex, velut unicus ac singularis filius, in amoris illius amplexu requiescat. »

Num scriptum illud in Osboriensi concilio lectum fuerit, incertum. Cæterum quæ libelli conclusio, eadem et synodi fuit. Cadalous enim, præsente rege, ab omnibus tum germanis tum italicis episcopis, damnatus et depositus est (XXVII sept. MLXII). Quod quum evenerit eo ipso die quo fuisset Cadalous præcedenti anno electus, contendit Damianus se recte fuisse vaticinatum, Cadaloo scribentem :

Non ego te fallo, cœpto morieris in anno.

« Tum quippe mortuus est in honore, quum honoris, synodali decreto, perdidit dignitatem. »

Sed anno consequente (MLXIII) Cadalous, Romam regressus, B. Petri ecclesiam, juvante romanorum procerum caterva, occupavit. Unde postera die pulsus, in Sancti Angeli castellum se contulit, ubi biennium commoratus est.

CAPUT VIII.

In clericorum vitia invehitur Damianus : incontinentiam scilicet, simoniam, ignorantiam, incuriam, avaritiam. — Correctionis ab episcopis nulla spes. — In solo pontifice salus.

« Venite audire me, scorta, prostibula, savia, volutabra porcorum pinguium, nymphæ, sirenæ. Nam sicut Madianites olim per phaleratæ vestis ornatum ad suum provocabant Israelitarum corda concubitum, ita vos accurati cultus, sive fucati vultus illecebris infelices homines de sacrosancti altaris ministerio avellitis... Sicut Eva, inter omnia Paradisi poma, illud duntaxat quod Deus vetuerat concupivit; sic à vobis, ex universa humani generis multitudine, illi tantummodo sunt electi qui penitus ab omni muliebris affectus sunt confœderatione prohibiti (1). » Ita clericorum pellices alloquitur Damianus. Recedant igitur, ad Deum convertantur, neque dubitent quin integram ab eo veniam sint accepturæ, qui dixerit : *Tu autem contaminata es cum amatoribus multis ; tamen revertere ad me, dicit Dominus* (2). Veritus autem ne surdis

(1) Petri Dam , opusc. XVIII, cap. 7.
(2) Jerem., III, 1.

caneret, severitatem censet esse adhibendam. Quare suadet ut, juxta Leonis IX decretum, unusquisque episcopus famulas ecclesiæ suæ vindicet « quas in parochia sua deprehenderit sacrilega presbyteris admixtione substratas (1). » Simul : « Per omnes concionamur ecclesias ut nemo missas a presbytero, non evangelium a diacono, non denique epistolam a subdiacono prorsus audiat, quos misceri feminis non ignorat (2). »

Nihil intentatum relinquit : sopitos episcopos excitat ; Adelaidi, Subalpinorum ducissæ, scribit, eam potissimum rogans ut in sacerdotum concubinas « vigorem terrenæ potestatis extendat, » quæ a templis, sine misericordia arcendæ sunt (3).

Quidam, his minis territi, neque se ad castimoniam redituros sperantes, a suscepto sese ministerio abdicabant, ut in tuto cum concubinis postea viverent ; quasi cessante ministerio, cessaret et officium. Plures autem argumentabantur. 1° Nonne dicit Apostolus : *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque virum suum habeat. Vir uxori debitum reddat et uxor viro* (4). « Ecce, inquiunt, hæc apostolica verba generalia sunt ; et dum unicuique nubendi licentiam tribuunt, nos excipere non videntur. » 2° Paupertatem alii causabantur : « Muliebris, inquiunt, sedulitatis auxilio carere non possumus (5). »

(1) Petri Dam., opusc. XVIII, *Contra clericos intemperantes*, cap. 2.
(2) *Ibid.*, cap. 7.
(3) Opusc. XVIII, dissert. II, *Ad Taurinens. episc.;* dissert. III, *Ad Adelaidem.*
(4) I Cor. VII, 2, 3.
(5) Opusc. XVIII, dissert. I, cap. 4.

Ut de conjugio, ita et de simonia disputatum.

1º Nonnulli contendebant minime in simoniacam hæresim eos incidere qui episcopatus a principibus mercarentur. Etenim, per eam coemptionem, bona quidem prædiaque Ecclesiæ nanciscuntur; episcopatum autem, per manuum impositionem, quæ gratuito fit, recipiunt. Demonstrat Damianus sæcularia Ecclesiæ bona ab ipsa Ecclesia non posse separari ; « prius te venalitas fecit hæreticum, quam manus impositio redderet consecratum (1). »

2º Dicebant alii nullam existere simoniam, dummodo pecunia desit, quasi non merito dicatur episcopatum emere qui « non contentus solummodo facultates expendere, semetipsum quoque non dubitat tanquam servum domino vendititium subjugare. Utque ejus animum capiat, quod ipsi magis placeat assiduus observator explorat. Pendet ad nutum : ire jubetur, evolat ; stare præcipitur, silicem repræsentat ; si dominus fervet, ille sudat ; si ille æstum, hic cauma conqueritur... Atque ideo hic non simplex, sed omnigena dicendus est simoniacus. Neque glorietur se non metalli dedisse pecuniam, qui quod pretiosius habebat, semetipsum venalem præbuit (2). »

Totam fere Italiam invaserat simoniaca hæresis : ad Gebehardum, Ravennatem episcopum, scribebat Damianus eum solum pene ex omnibus invictum Christi militem permanere (3). Neque sine periculo ea militia erat. Nam, eodem circiter tempore, quum B. Romualdus

(1) Epist. I, 13, *Ad Alexand.* II.
(2) Petri Dam., opusc. XXII, *Contra clericos aulicos.*
(3) Epist. III, 1.

durissima simoniacos severitate corripiens, eos, nisi ordinem sponte desererent omnino damnabiles et hæreticos assereret; illi, « novam rem audientes, occidere illum moliti sunt (1). »

Maxima tum ignorantia clerici torpescebant. De Mincio, Ostiensique archipresbytero supradictum ; istum quoque presbyterum meminimus, qui ecclesiæ suæ patronum injuriose tractabat eo quod gallinam sibi vultur rapuisset. Hæc et similia prorsus communia erant. « Per episcopalis enim torporis ignaviam, ita nunc presbyteri litterarum reperiuntur inexpertes, ut non modo eorum quæ legant intelligentiam non attingant, sed syllabatim quoque vix ipsa discurrentis articuli elementa balbutiant (2). »

Quod si tantæ inscitiæ magna rerum sacrarum juncta sit incuria, nil mirum. Sordidi sacerdotum libri, sordida indumenta, sordidi calices ; « in squalido linteo Dominicum corpus offerunt et involvunt ; et quod non dignetur porcus quilibet propriis labiis adhibere, in hoc illi corpus non verentur ponere Salvatoris. »

Neque credas deficere opes; at quæ rebus sacris, necnon pupillis ac viduis impendere debuissent, sibi suisque impie presbyteri reservabant (3). Hos autem nimius terrestrium amor ad alia plerumque flagitia provocabat; quos videre erat aulas regias, tribunalia replentes, arma sumentes ut illatam fortassis injuriam, majori sane injuria vindicarent (4).

(1) Petri Dam., *Vita S. Romualdi,* cap. 35.
(2) Opusc. XXVI, *Contra inscitiam et incuriam clericorum.*
(3) Opusc. XXVI, c. 1, 2, et opusc. XXXI, *Contra philargyriam.*
(4) Epist. IV, 9, *Ad Olderic.*, et I, 15, *Ad Alexand. II.*

Omnes ad regulam revocat Damianus, etiam canonicos, qui quum juxta ecclesias degere debeant, « per angiportus et nundinarum stationes habitando succedunt, nimium suavius judicantes, si cauponum tabernas olfaciant, quam si divini sacrificii quotidie limen terant ; magisque delectat eos textricum gynæcea conspicere quam cœlestis eloquii paginis incubare (1). »

In opusculo autem XXIV, *ad Alexandrum II pontificem,* probat Damianus nihil sibi proprium habere posse canonicos ; sed debere, quum initiantur, cuncta in commune conferre quæ pauperibus non fuerint largiti. E contra, sua retinent ; imo communia quisque sibi vindicare satagit. Namque, quum in regula scribatur : *Accipiant cibum et potum et vestimentum,* rem ita interpretantur ut « quinque libras vini et quatuor panis » quotidie sorbeant ; unde fit ut « non jam ructare, sed crepare venter et ilia compellantur. » Nec ista satis : hæc enim verba in regulam irrepserant : *Ii vero qui nec suis rebus abundant, nec Ecclesiæ habent possessiones, et magnam utilitatem Ecclesiæ conferunt, accipiant, in canonica congregatione, victum et vestimentum et eleemosynarum partes.* Quis autem se *rebus suis abundare* existimet ? Quis *magnam sese Ecclesiæ utilitatem conferre* non crediderit? Eleemosynas ergo inter se partiebantur, neglectis pauperibus.

Cohabitent ergo canonici, nihil possideant, obedientes sint et impigri :

Qui vult esse canonicus,
Sit bonus et idoneus;

(1) Opusc. XXVII, *De communi vita canonicorum*, cap. 1.

Ad matutinum veniat,
Quum signum horæ resonat;
Postposita pigritia,
Festinet ad officia (1).

Episcoporum assidua, in istis reformandis moribus, diligentia opus erat (2). Qui plerumque connivebant, sæpius et officiebant, nedum juvarent, utpote sacerdotibus pejores. De episcoporum luxuria diserte Damianus disserit: « Conqueruntur inopiam ut turritæ dapibus lances indica pigmenta redoleant, ut in christallinis vasculis adulterata melle vina flavescant. Ad hoc certe ditari cupiunt ut, quocumque deveniunt, præsto cubiculum operosis et mirabiliter textis cortinarum phaleris induant, sicque parietes domus ab oculis intuentium, tanquam sepeliendum cadaver obvolvant. Mox etiam tapetis prodigiosas imagines præferentibus sedilia sternunt, peripetasmata laquearibus opponunt; deinde clientium turba dividitur. Alii siquidem Domino suo reverenter assistunt, nutumque ejus, si quid forte jubeatur, curiosa nimis, velut rimatores siderum, observatione custodiunt. Alii Marthæ ministerio dediti, velut hirundines, inquiete per diversa discurrunt.

« Quorumdam lectulus tam operosis decussatur impendiis ut ornamentum sacrosancti cujuslibet, vel etiam ipsius Apostolici præcellat altaris. Regalis purpura, quia unicolor est, vilipenditur; pallia vero, diversis fucata nitoribus ad sublimis lectuli deputantur ornatum. Et quum domestici murices nostris aspectibus

(1) Petri Dam., *Preces et Carmina*, n. 222.

(2) Ad sua, ea de re, officia episcopos passim revocat Damianus. epist. IV, 15; opusc. XVIII, diss. I, cap. 1 et 8, etc.

sordeant, transmarinorum pelles, quia magno pretio coemuntur, oblectant. Ermellini, gebellini, martores exquiruntur.

Omitto annulos enormibus adhibitos margaritis. Prætereo virgas, non jam auro gemmisque conspicuas, sed sepultas (1). » Et alibi : « Quotidie regales epulæ, quotidie apparatus, quotidie nuptiale convivium... Et quum episcopus dispensator et promus debeat esse pauperum, ad eorum mensam, affluentibus deliciis, alieni ructant ; quum et illi quorum tota est substantia, procul exclusi, famis inopia contabescunt (2). »

Episcopis ingenti pecunia opus ut talibus sufficerent. Quæ diversis artificiis, per fas plerumque et nefas, conquisita. Joannes, Commiaclensis episcopus, « pauperculæ cuidam viduæ porcum, quem velut spem sui victus alebat, auferri jubet suisque ferculis profuturum non segnius præparari (3). » Alii, ut Wickerus, Ravennas archiepiscopus, aperte latrones erant (4). Munera multi libentius accipere ; quod et periculi plenum : « Acceptis namque muneribus, si contra datorem quid agere volumus, mox in ore nostro verba mollescunt, locutionis acumen obtunditur (5). » Erant et qui munera provocarent, ut episcopus ille qui, instante præfixo concilii tempore, « sic subsultabat atque gliscebat ac si trituræ vel vindemialis proventus articulus immineret. Accingebat enim se muneribus colligendis, ad quos utique

(1) Opusc. XXXI, *Contra munerum cupiditatem*, cap. 6.
(2) Opusc. XX, *Apologeticus ob demissum episcopatum*. Cf epist. II, 1, et opusc. XLII, cap. 3.
(3) Opusc. XLII, cap. 3.
(4) Epist. VII, 2.
(5) Opusc. XXXI, *Contra munerum cupidit.*

præcidendos non aciem ferri, sed falcem exacuebat eloquii (1). »

Cæterum plerique, quum episcopatum coemissent, inferiores rursus Ecclesiæ dignitates vendebant :

Omnis episcopus urbis
Plebes vendebat, quas sub se quisque regebat (2).

Nonnulli indignos sacerdotes audebant, accepta pecunia, in officio retinere ; tradentes « tanquam Judas Iscariotes impiis manibus Salvatorem, propter vilis pecuniæ quantitatem (3). »

His certe mores reformandi neque auctoritas erat, neque voluntas. Unde corrigendi ante omnes episcopi. Persuasione nulla spes, quum adeo durus episcopus sit, ut vel Judæus ad Deum facilius convertatur (4). Neque magis expectandum donec episcopale collegium, temporis lapsu, renovetur ; optimus enim quisque, simul ac fit episcopus, pessimus est : « omne quod pie vixerant obliviscuntur ; et decurrentium more fluminum ad ima absque ullo retentionis obstaculo devolvuntur (5). »

In solo pontifice salus. Quare non dubitat passim demonstrare Damianus quænam papæ agenda sint.

1° Cuncta noverit necesse est. « Illud autem quod dicitur : *Non licere cujuslibet ecclesiæ filium proprii reatus episcopi et quæque sunt corrigenda conferre,*

(1) Opusc. XXXI, cap. 5.
(2) Donizo, *Vita Mathildis*, cap. XV, ap. rerum Italic.. script., t. V.
(3) Opusc. XXVI, *Contra inscit.*, cap. 4.
(4) Petri Dam., *De Vita S. Romualdi*, cap. 35.
(5) Petri Dam., sermo V, *De S. Severo*.

nimis est obsonum et prorsus ecclesiasticæ disciplinæ adversum. Quis est enim hic arrogantiæ tumor? Quis elationis fastus? Quæ denique tanta superbia, ut liceat episcopum per fas et nefas ad propriæ voluntatis arbitrium vivere ; et quod insolenter excessum est, a subjectis suis dedignetur audire? Justis ergo querelis liber pateat aditus ; et qui censoriam super alios concutit virgam, ipse quoque super se vigoris ecclesiastici sentiat disciplinam ; quique non humanum sonat, sed super alios quasi fulgur terribiliter intonat, humana verba formare per humilitatem discat (1). »

2° Contra sontes, quicumque sint, viriliter agendum.

3° Cavendum ne nimium repetitis ictibus pontificalis enervetur auctoritas. Queritur S. Doctor quod cunctis fere pontificum decretalibus subjungatur anathema, et dicatur : *Quisquis hæc vel illa fecerit... anathema sit ;* quasi omnia, ut stoicis placet, peccata paria sint. Hunc morem neque beatus papa Gregorius tradidit, neque cæteri Patres. Quin ipse Deus omnipotens : « *Qui amat,* inquit, *patrem aut matrem plusquam me,* non continuo addit : *sit anathematizatus* vel *maledictus ;* sed tantum ait : *non est me dignus* (2).

(1) Epist. I, 12, *Ad Alexand. II.*
(2) *Ibid.* — Cf. opusc. XVII, cap. I, 4. — Epist. I, 13, *Ad Alexand. II.*

CAPUT IX.

Episcopatu se Damianus abdicat. — Obsistit Hildebrandus. — Quænam Petrum inter et Hildebrandum amicitia fuerit. — Quibus de causis voluerit Damianus episcopatum deponere. — Assentitur Alexander II. — Florentiam Damianus mittitur.

Invitus episcopatum, coactusque, ut supra memoravimus, Damianus susceperat, utpote vir summopere quietis et solitudinis amans. Quare defuncto vix Stephano IX, episcopatum deponere statuit.

Tum intrusus in Apostolicam Sedem Benedictus IX; Romam cardinales relinquere coacti; electus denique Nicolaus, qui non nisi anno sequenti (MLIX) januario mense, Romam ingredi potuit. Ab eo sic exulante Damianus impetravit ut, ad tempus deposito episcopatus onere, ad dilectam Fontis Avellani solitudinem sibi repedare liceret. Quo quum pervenisset, ad summum permanendi licentiam deprecatus est. « Ecce enim jam oculi caligant, et solito amplius flegmatis humores abundant. Rugæ subeunt et dentium ruinam gengivæ minantur. Caput denique, quod canis hactenus spargebatur, cygneo jam albore nivescit, vox raucit, virtus deficit, et heu ! proh dolor ! sola in me vitiorum radix

ignorat penitus senectutem... Deponenda ergo sarcina quam bajulare non possum (1). »

Centum jam annorum pro demisso episcopatu pœnitentiam susceperat ; majorem, si placeat, addito etiam carcere, suscipiet.

Majoris autem Damianum faciebat Hildebrandus quam qui talem virum recedere sineret : « Sed hic forte, blandus ille tyrannus, qui mihi Neroniana semper pietate condoluit, qui me colaphizando demulsit, qui me certe aquilino, ut ita loquar, ungue palpavit, hanc querulus erumpet in vocem : *Ecce latibulum petit, et, sub colore pœnitentiæ, Romæ subterfugere quærit accessum; lucrari machinatur de inobedientia otium ; et, cæteris in bella ruentibus, hic sibi degeneris umbræ quærit opacum.* Sed ego hoc sancto Satanæ meo respondeo quod filii Ruben et Gad Moysi, ductori suo, respondisse noscuntur : *Nos,* inquiunt, *armati et accincti pergemus ad prœlium ante filios Israel, donec introducamus eos ad loca sua* (2). »

Pugnabit ergo Damianus, pontificem ipse, proprio Ostiensis ecclesiæ jure, consecrabit ; ac postea, si liceat, recedet. Tum, ad Deum conversus : « Ille miserum Petrum de manibus eruat Hildeprandi, ad cujus imperium magno Petro patuit carcer Herodis (3). »

Ex his et similibus nonnulli ad id inducti sunt ut

(1) Opusc. xx, *Apologetic. ob demi SS. episcop.*, cap. 5 et 7.
(2) Num., xxxii, 17.
(3) Opusc. xx, cap. 1 et 7.

simultatem quamdam, Damianum inter et Hildebrandum, imo invidiam extitisse sint arbitrati (1). In quo prorsus erravere. Nam, ex his quæ jam dicta sunt, maximam inter eos concordiam circa res eo tempore gravissimas, morum scilicet correctionem auctoritatemque Pontificis, extitisse manifestum. Eo autem ipso fit ut in uno dissentiant : recedere vult Damianus, tanquam operi tanto inutilis ; quem retinet Hildebrandus, utpote necessarium. Inde duræ apud Damianum voces, qui et Stephanum IX pontificem, a quo episcopus cardinalisque creatus est, suum appellare persecutorem non dubitat (2).

Cæterum quæ Damiani fuerit erga Hildebrandum amicitia, quod obsequium, ubique reperitur : « Utinam tam Deo vel Petro quam tuis cœptis, tuisque conatibus semper obtemperare contendi... Mera tua voluntas mihi canonum erat auctoritas ; nec unquam judicavi quod visum est mihi, sed quod placuit tibi. Præterea nomen tuum in quanta benedictione fuerit apud labia mea, saltem domnum Cluniacencem, qui tibi non est ignotus, inquire (3). »

Facetiis non abstinebant. Hildebrandus, die quadam, ad Damianum piscis partem dimidiam miserat. Cui alter :

> Non mirum Petrus si sit mihi semper egenus,
> Quum generant medios flumina pisciculos.

Damiani lenitatem irridebat Hildebrandus ; irridebat

(1) In primis Voigt, *Gregorii VII Hist.*, lib. II.
(2) Opusc. XIX, in init.
(3) Petri Dam., epist. II, 8, *Ad Hildebrand.*

et de sua valetudine querentem (1). At ille rursus superbo archidiaconi animo minime parcit :

Papam rite colo, sed te prostratus adoro :
Tu facis hunc dominum; te facit iste Deum (2).

Et alibi :

Vivere vis Romæ? Clara depromito voce:
Plus domino papæ quam domno pareo Papæ (3).

Quum pax Ecclesiæ data, Pontificem iterum Damianus precatus est ne requies « cani sui et grandævæ jam senectuti negaretur. » Romanas febres prætendit, novasque recedendi causas vir modestior adhibet : « vitiosus, inquit, ad honorem hunc, et cum reprehensione perveni, et in eo reprehensibiliter vixi (4). » Infecta re decessit Nicolaus (jun. MLX).

Multæ præterea causæ Damiano erant cur solitudinem repetere cuperet. Maximum in primis pontificalis ipsius curiæ tædium, in qua nulla jam gravitas, sed « sales, facetiæ, omnesque inanium verborum pestes, » quæ scurras, minime sacerdotes decent. « Recte vivendi linea, quæ aliis ad exemplum proponenda fuerat, non tenetur. Quod si nos, vel pudore vel metu, in hæc declinare contemnimus, mox inhumani, rigidi, et quos Hyrcanæ genuerint tigres, saxei judicamur. Reprimo calamum (5). »

Pertæsus quoque animoque consternatus erat, quum

(1) Petri Dam., ep. I, 11.
(2) Petri Dam., *Preces et Carmina*, n. 195.
(3) *Ibid.*, n. 149.
(4) Petri Dam., opusc. XIX.
(5) Opusc. XX, cap. 7.

tot et tanta apud se flagitia animadverteret impotens. Ne unum quidem in ecclesia sua clericum reperire potest, qui suas epistolas, librosque rescribat; quum sint omnes disputando, litigando, dimicandove occupati, ita ut « eos a sæcularibus barbirasium quidem dividat, sed actio non discernat (1). »

Qui autem fuerint sæcularium mores hinc inde colligere licet. Ubique furta, latrocinia, cædes. Si cui injuria fit, atrox ultio. Nisi autem a potentiori inimico pœnas repetere queat, vapulant innocentes, inermes, rustici : uruntur arundineæ tegetes. Si qui ad tribunalia recurrere velint, a judicibus justitia venditur (2). « Totus mundus hoc tempore nihil aliud est nisi gula, avaritia atque libido. » Nulla ipsos inter conjuges continentia, nulla temperantia est. « Quum taurus, canis et cætera bestiarum genera fœtibus suis reverentiam præbent ; soli homines, quorum Doctor de virgine natus est, ut vota suæ libidinis expleant, parvulos suos, qui ad Dei formantur imaginem, necantes obterere non formidant. »

Quid autem agat episcopus, quam delinquentibus pœnitentiam injungat, quum cuncta languorum genera simulent, ne quod forte sibi jejunium imponatur (3). Frustra quoque contra perditos mores, incestuosaque conjugia prædicantes invehuntur : « Cuncta hæc perditis hominibus velut aniles næniæ risum potius movent, quam ad corrigendi piaculi lamenta compungant (4). »

(1) Epist. I, 15, *Ad Alexand. II.*
(2) Epist. I, 15. — Opusc. XII, cap. 23.
(3) Epist. I, 15.
(4) Opusc. XII, cap. 29.

Familiarissime Damianus cum Hildebrando, summisque pontificibus vivebat. Unde nova fastidia. Nobiles enim cum benigniori viro amici liberius agebant. Sic Nicolaus II, die quadam, Ostiam cum Hildebrando profectus, ornatus inde episcopales, episcopatusque proventuum quidquid reperiri potuerat, absente Damiano, retulit (1). Eidem Alexander II librum furatus est : « Tulit librum nostrum, quem videlicet de paupertatula inopis ingenioli magno labore decerpseram, et velut unicum filium ulnis uterinæ dulcedinis amplectebar... Nocte, me nesciente, tulit, suisque scriniis infarcivit. Quum expostulatur, arridet, caputque meum, tanquam oleo, jocosæ urbanitatis suavitate demulcet... Proinde Dominus noster, quia sua nobis præbere non vacat, non saltem quæ nostra sunt tollat (2). » Alias ipsum Alexandrum, a quo gravius quid passus erat, allocutus : « Multitudo, inquit, meorum scelerum exigit ut is etiam propriis manibus meo pectori vulnus infligat, pro quo non enerviter stans, adversus totum mundum certamen assumpsi. Hoccine mihi, Venerabilis pater, meritum reddidisti (3). »

Quare episcopatum sibi liceret deponere magis ac magis orabat. Annuit demum Alexander : Ostiensi primo eum comitatu, dein et ipsa ecclesiastica administratione exoneravit. Ad Avellanum Fontem recessit Petrus. Eum tamen, quoad titulum, Ostiensem epis-

(1) Epist. I, 8, *Ad Nicol. II et Hildebrand.*
(2) Epist. II, 6, *Ad Hildebr. et Stephan. card.*
(3) Epist. I, 14.

copum remansisse constat (1), neque minus magnorum Ecclesiæ negotiorum fuisse participem.

Eo circiter tempore (MLXII) missus Florentiam Damianus, ubi grave erat archiepiscopum inter et monachos dissidium. Monachi enim archiepiscopum simoniacum reputantes, sacramenta affirmabant seu ab ipso, seu ab his quos ordinavisset recipere illicitum. Damianus autem a monachis prorsus dissentiens declaravit ab episcopo secedere nefas, utpote qui non fuisset canonice damnatus. Quod male interpretantes, ipsum accusavere Florentini, quasi simoniæ faveret. Reclamavit Petrus : neminem simoniam majori fuisse odio prosecutum; simoniacum non ita inconsiderate habendum quicumque in suspicionem venisset; monachos causam fuisse cur homines mille et amplius absque sacramentis decessissent; unam viam esse rem dirimendi, si ad S. Pontificem recurratur (2).

Quare quæstio in Romano concilio (MLXIII) agitata, ubi vehementer utrinque disputatum, aliis cum Hildebrando pro monachis, pluribus cum Damiano pro episcopo stantibus. Nihil tunc ea de re statutum. Damianus autem e concilio adeo defatigatus abiit ut S. Pontifici scripserit : « Hæc apud me definita sententia est, quia de cætero, nisi me necessitas inevitanda compellat, donec advixero, Romanis me conciliis funditus absentabo (3). »

(1) Mortuo Damiano (1072) successit Gherardus. (Ughelli *Italia sacra*, 1644, t. II, p. 72.)

(2) Petri Dam., opusc. XXX.

(3) Epist. I, 12, *Ad Alexand. II.*

CAPUT X.

Legatus in Galliam Damianus mittitur. — Quid de Cluniacensi monasterio senserit. — Cluniacenses inter et Matisconensem episcopum lis ab eo componitur. — Hujus singularis in abbatem monachosque charitas. — Damiani ad Annonem epistola. — Cadaloi schisma in Mantuana synodo extinguitur.

Romano concilio (MLXIII) interfuit Hugo, Cluniacensis abbas, in Italiam profectus ut monasterii sui jura defenderet. Grave pridem Cluniacense cœnobium inter et Matisconensem episcopum dissidium de jurisdictione erat. Jam in concilio apud Ansam prope Lugdunum habito (MXXV), Odilo, Cluniacensis abbas, privilegium exhibuerat, a Romana impertitum Ecclesia, quo neque Matisconensi, neque cuiquam subjectum episcopo, sed prorsus immune monasterium declarabatur. At Patres, Calcedonici lectis concilii canonibus, omnes cujusve regionis abbates et monachos, proprio subjiciendos episcopo decrevere. Qua sententia summum Pontificem non esse canonibus superiorem tacite declarabant (1).

Horum auctoritate fretus, Drogo, Matisconensis epis-

(1) Labbe, *Concil.*, t. VII, p. 859.

copus, suam in Cluniacensi monasterio auctoritatem inconcusse stabilire aggressus est. Quare armatorum comitante caterva, ad S. Mayoli ecclesiam perrexit, orationem habiturus. Monachi autem tanta pertinacia obstitere, ut episcopus, tentato nequicquam impetu, retrocedere coactus sit (1).

Sed de illa, quæ sibi videbatur injuria Cluniacensis abbas vehementer in concilio questus est. Nonnullis autem causam tam celebris monasterii aperte tuentibus, P. Damianus, licet ætate gravis, se ea de causa legationem in Galliam suscepturum proposuit (2).

Annuit Alexander, Petroque mandavit ut rem illam, simul et cæteras, si quæ tum in Galliis agitarentur, decerneret. Quapropter litteras ad Remensem, Senonensem, Turonensem, Bituricensem, Burdigalensemque archiepiscopos direxit, in quibus magnifice de Damiano loquitur. « Quoniam pluribus ecclesiarum negotiis occupati, ad vos venire non possumus, talem vobis virum destinare curavimus quo nimirum post nos major in Romana Ecclesia auctoritas non habetur, Petrum videlicet Damianum, qui nimirum et noster est oculus et Apostolicæ Sedis immobile firmamentum. Huic itaque vicem nostram pleno jure commisimus, ut quidquid in illis partibus, Deo auxiliante statuerit, ita ratum teneatur et firmum ac si speciali nostri examinis fuerit sententia promulgatum (3). »

Cum Hugone igitur Damianus profectus est, comi-

(1) *Synodalis definitio inter D. Hugonem abbat. Cluniac., et D. Drogonem episc. Matiscon.* (Ex bibl. Cluniac.)
(2) *Ibid.*, et Petri Dam., epist. VI, 2 et 5.
(3) Alexandri II, epist. 21.

tante Aldredo, Bremensi abbate, qui variis quoddam itineris labori levamentum historiis afferebat (1). Namque per Alpium prærupta, æstivis tunc cooperta nivibus, difficillimum iter, viro præsertim incurva jam senectute depresso, longoque præterea abstinentiæ, necnon ferreorum vinculorum usu sic attrito, ut incertis pedibus vacillaret, neque posset equitandi laborem tolerare (2).

Qui quum Cluniacum advenisset, mirari cœpit quod monachi, tantis opibus abundantes, ea nihilominus disciplina, virtuteque ac devotione florerent. « Vidi, inquit, paradisum ; vidi hortum deliciarum, diversas rosarum ac liliorum gratias germinantem, et multiplices aromatum ac pigmentorum fragrantias suaviter redolentem (3). » Monachis nihil defuturum aiebat, si duabus saltem feriis à sagimine abstinerent. « Cui venerandus Hugo, discretionis custos egregius : *Si,* inquit, *pater charissime, vultis nobis augere coronam mercedis, per addimenta jejunii, tentate prius nobiscum pondus laboris, per octo dierum spatium, et deinceps æstimabitis quid adjiciendum censere debeatis.* Quibus auditis, sentiens fascis hujus gravitatem suis viribus importabilem, a petitione ingravandi ponderis cessavit (4). »

Convocatum in Cabillonensem civitatem concilium est. Lectum coram Patribus documentum quo Willelmus

(1) Petri Dam., op. XXIV, cap. 5.
(2) Petri Dam., epist. VI, 2. — Anonymus Cluniacensis, in *tractatu miraculorum S. Hugonis.*
(3) Petri Dam., ep. VI, 4.
(4) *Anonym. Cluniac.*

comes, loci fundator, nihil cuiquam rei, nisi Romano Pontifici, in monasterio futurum statuerat. Insignia quoque lecta privilegia, queis S. Pontifices perpetuam cœnobii libertatem confirmabant. Tum rogati Patres num illa privilegia rata decernerent, rata perpetuoque servanda conclamarunt. Quod quasi non sufficeret, viritim unusquisque consulitur, ipseque Matiscensis inquiritur ; qui nimirum, non minus quam cæteri episcopi, rata privilegia et inviolabili ac perpetuo jure servanda, libere, cunctis audientibus, profitetur. Tandem, Evangeliis imposita manu : « Audiat, inquit, Domnus Petrus, Ostiensis episcopus, et omnis sancta synodus, quia eo die quo Cluniacum commotus adveni, non in contemptu sive despectu Sedis Apostolicæ, vel Domni Alexandri pontificis hoc egi, et privilegiorum tenorem ac seriem, quæ modo in nostris auribus lecta sunt, non cognovi ; sic me Deus adjuvet et ista sancta Evangelia. »

Illico præfatus Matiscensis episcopus, pavimento prostratus, veniam petiit ; seque peccasse confessus, septem dierum pœnitentiam, in pane et aqua jejunaturus, accepit (1).

Ita lis Cluniacensem abbatem inter et Matisconensem epicopum composita. Sui Damiano obitus, quotannis in perpetuum, se memoriam celebraturos Cluniacenses promisere. « Cui tunc sponsioni et hoc additum est ut unum sine intermissione pro me pauperem et alimentis simul et indumentis jugiter sustentarent.

(1) *Synodalis definitio.*

Hic mei laboris est fructus, hæc merces operis. Litteris autem fuit illa stipulatio mandata (1). »

S. Odilonis vitam scripsit Damianus, rogante Hugone, quocum intimæ charitatis nexu, ab eo tempore, vinctus est. Hugoni nepotem suum, rudem adolescentem imperitumque commisit, ut in trivio quadrivioque apud Gallos erudiretur, in Italiam postea rediturus. Neque minori monachos amore Damianus prosecùtus est, quibus ita intimo corde adhærebat « ut facilius, inquit, suimet oblivisci quam vestra memoria mens mea possit avelli (2). » Quæ decreverat Damianus confirmavit ipse Pontifex, qui singulare Cluniacensibus privilegium est impertitus ut nonnisi à Romano Pontifice excommunicari possent (3).

Res quasdam alias à Damiano in Gallia peractas fuisse, duplici Alexandri II ad Remensem archiepiscopum epistola constat ; de quibus monumenta desunt. Hugonem posthac, Vesuntinum archiepiscopum, visitavit, cui scripsisse reperitur : « Unum torporis ac desidiæ signum in ecclesia tua vidi. Plerique siquidem ibi clericorum resident, dum vel canonica horarum celebrantur officia, vel etiam missarum offeruntur terribilia sacramenta. Cujus torporis ignaviam per Galliarum partes nonnullis inesse etiam monachis deprehendi : quod profecto pravæ consuetudinis vitium est, correctione dignum (4). »

Ad propria denique citato cursu Damianus repeda-

(1) Petri Dam., epist. VI, 2.
(2) Epist. VI, 4.
(3) Alex. II, epist. 43, ap. Labbe, *Concil.*, t. X, p. 1131.
(4) Petri Dam., opusc. XXXIX.

vit, neque tamen, propter Alpium torrentes, nives, præcipitia, efficere potuit ut ad Fontem Avellanum, unde processerat, ante v calend. novembris perveniret. Unde multa adversus Hugonem, tanti laboris auctorem, animo agitavit. « At postquam ad cellulam perventum est, imo postquam in me ipse, qui fueram exclusus, intravi, mox æstuantis animi furor extinguitur, contentiosi litigii querela sopitur, clamor et indignatio præsto deponitur ; et omne quod in meis visceribus amarum fuerat, divinitus obdulcatur (1). »

De Cadaloo non erat actum. Itaque dum in Galliis legatione fungeretur, « in expeditionis, ait, exercitio constitutus, » ad Annonem Coloniensem archiepiscopum scripsit Damianus ut inchoatum in Osboriensi concilio opus demum absolveret. « Necesse est, inquit, ut vestra prudentia totis nisibus elaboret, quatenus generale concilium quantocius fiat (2). »

Propter hanc epistolam, cujus fama ad se pervenerat, Hildebrandus Alexanderque papa Damianum reprehenderunt, quasi quid contra Romanæ sedis auctoritatem deliquisset. Quare ipsas ad eos litteras, nihilo prorsus immutato, remisit (3). Annoni scripserat : « Libenter ad Vestræ Sanctitatis alloquium, si occasio daretur, attingerem, ut communicandum concilium, quod absentia prohibet, viva conserti sermonis verba conferrent. » Ad Italiam paulo post Anno profectus est, Mantuamque convocata synodus. Ea de re Alexander II Hildebrandusque, hic equidem duriori stylo, ille

(1) Epist. vi, 5, *Ad monachos Cluniac.*
(2) Epist. iii, 6.
(3) Epist. i, 16, *Ad Alexand. II et Hildebr.*

autem « paterni favoris affabilitate blanditus, » Damiano scripserant, petentes ut Romam veniret, unde Mantuam secum proficisceretur. His haud injucunde memorat Petrus Solem et Eurum inter se disputantes uter viatori chlamydem auferat. Rogat autem ut a se jam effeto viro, omnique dignitate destituto, nihil amplius exigatur : « qui cuncta quæ vestra sunt reddidi, cur adhuc persecutionem patior ? »

In Mantuana autem synodo (MLXVII) (1) damnatus omnium unanimi consensu Cadalous est, Alexanderque papa II irrevocabiliter proclamatus. Cui concilio interfuisse Damianum nonnulli suspicati sunt ; ipse vero se domi remansisse satis aperte declarat (2).

(1) Ann. 1064 multi post Baronium scripserunt. Demonstrat autem Pagi, in *Critica*, hanc ad ann. 1067 esse referend.

(2) Opusc. XXIII, *Ad Alex. II*.

CAPUT XI.

De variis Damiani, præsertim de monastica vita, operibus. — Consilia data monachis. — Quænam in ipsis reprehendat S. Doctor; quænam laude prosequatur.

Ultimos ætatis annos in solitudine, non in otio Damianus peregit; multos enim eo tempore libellos scripsisse videtur, qui ad theologiam jusve canonicum, aut ad ethicam pertineant (1).

Innumeris de rebus interea ad amicos scribebat: ad proprias scilicet sorores, viduis ut solatium simul et animum adderet (2); ad Adelaidem, Tuscorum ducissam, ut castimoniam ei commendaret (3); ad ejusdem maritum Godefridum, ut improbos reprimeret hortaturus (4). Si qua junior comitissa, ipsi amica, avarorum rapaciumque hominum genti connubio sociatur, Petrus ei significat quomodo sit in tali domo conversandum.

(1) Opusc. XXV, *De dignitate sacerdotii;* XXII, *De omnipotentia divina;* VIII, *De parentelæ gradibus;* IX, *De tempore celebrandi nuptias;* XL, *De frenanda ira*, etc.

(2) Epist. VIII, 14.

(3) Epist. VII, 14.

(4) Opusc. XXXVII.

« Noli, filia, de rapinis pauperum vivere ; et quum Apostolus unumquemque manibus suis laborare præcipiat (1), ut habeat unde tribuat necessitatem patienti ; tu fac agriculturis vehementer insisti, ut ad indigentibus præbenda solatia, horrea tua valeant proventuum benedictione repleri (2). »

Alias de vera felicitate disserit Petrus, docetve quare sit in ærumnis lætandum (3). Si vero timeat ne Cinthius, præfectus Urbis jus dicere negligat, liberius orationi vacaturus : « Memini plane, inquit, excellentissimum ducem Gothefridum mihi retulisse quod scribo. Avunculus, inquit, meus, æque nomine Gothefridus, præpotens videlicet vir, ad faciendam justitiam nimis erat intentus, et super subditos sibi populos legalium sanctionum disciplinam vigoremque tenebat, adeo ut aliquando, congregata coram se plebis innumeræ multitudine, ipse dux, excelsa voce clamaret : *Proferat causam suam in medium, qui vult habere judicium.* Quumque hoc, præconis officio functus, tertio diceret, et nullus in tanto populo responderet, intellexit omnibus satisfactum. Tum equum lætus ascendit et populum non jurgantem, sed pace mutua perfruentem, cum gaudio reliquit. » Pia autem fabula, ut sæpe fit, mixta rebus. Vir quidam in spiritu raptus est. « Visus est sibi videre avunculum meum, qui superius dictus est, in aureo subsellio præsidentem. Cui nimirum duo angeli videbantur assistere, et flabella manibus ventilantes, conabantur æstus, in ejus facie, more minis-

(1) *Ephes.*, IV, 28.
(2) Epist VII, 18, *Ad Guillam. comitissam.*
(3) Epist. VIII, 7, 8.

trantium temperare. Quumque quis esset ille is qui hæc videbat inquireret, responsum est ei : *Justitia* (1). »

Versibus quandoque sua cuique officia Damianus indicat. Ludi quidem magistro :

Magister doctus litteris
Flagella det discipulis ;
Ut, docti ab infantia,
Doctrinam bene sapiant.

Tum notariis :

Veraces sint notarii
Tuendo fidem animi ;
Nec unquam, pro denariis,
Falsa scribant in chartulis.

Omnibus demum :

Antequam mors adveniat,
Deo donate decimas :
Securi hinc exibitis
Et cœlum possidebitis.

At in his Damiani operibus, nulla majori sunt attentione digna quam quæ ad monasticam vitam attinent. Hanc magnopere celebrat, Sacræque Scripturæ figuris usus, nunc terrestri Paradiso, nunc Noemi arcæ monasteria comparat, « in qua cunctorum animalium species includuntur (2). » Ipsos ostrea monachos nuncupat ; quæ probroso sensu nolim accipias.

Eremitarum vitam cœnobiticæ prorsus anteponit (3).

(1) Epist. VIII, 2.
(2) Opusc. LII, 26.
(3) Opusc. LI, *De vita eremitica ;* XI, c. 19, *Laus eremiticæ vitæ.* — Epist. VI, 22, *Ad nepotem.*

In utraque autem fueris conditione constitutus, ejusdem regulas observare memento.

Primo quidem domi resideant ; ne sint secularium rerum curiosi, neque seculares viros adeant, quod periculi plenum, tum sæcularibus, tum monachis (1).

Mulieres autem abhorreant : « In quodam nempe monte orientis, lapides sunt igniferi, qui masculus et fœmina nuncupantur, et dicuntur pyroboli. Qui nimirum quum a se invicem procul sunt non accenduntur ; si vero fœmina appropinquaverit masculo, protinus ex eis ignis egreditur, ita ut omnia quæ circa montem sunt flammis exurantur (2). » Si forte necesse sit cum fœmina colloqui, « longinquus alloquere, terræque defixis obtutibus, neque pallentem, neque rubescentem ejus faciem possis judicare. » Ea autem occasione, jocum quemdam S. Romualdi, nec ita injucundum recitat. « B. aliquando Romualdus, rediens a Sibyllæ comitissæ colloquio, comitanti fertur callide dixisse discipulo : Quam elegantis, ait, et venusti vultus fœmina, nisi, proh dolor ! unius oculi dispendio laboraret. Cui discipulus : absit, magister, inquit ; sicut decora certe facies, ita quoque oculi, prout sagaciter deprehendi, nihilominus incolumes vigent. Quem magister acerrima protinus animadversione corripiens : Et quis te, inquit, in faciem fœminarum respicere docuit ? » Erubuit discipulus, « se circumventum respiciens. »

Libidinis autem nonnulla remedia ; quorum aliud ab

(1) Epist. VI, 20 et 32.
(2) Opusc. LII, *De bono religiosi status*, c. 5.

Agnete imperatrice audivit Damianus (1); aliud a monacho, quem ipse novisset. Ipse autem castoris artem, utpote certissimam, imitandam proponit. « Castor itaque, quum se videt a venatore propter genitalia persequi, hæc mordicus abscindit et ante venatoris faciem projicit (2). Sic illico venator abscedit, dum id propter quod persequebatur extorsit. Si vero contingit ut alter eum rursus venator inveniat..., in os se venatoris erigit. Sic sic ab instantis venabulo liberatur, dum ostendit sibi deesse quod queritur. Tu quoque, etc. (3). »

Duplex præterea castitatis adjumentum celebrat Damianus : sobrietatem scilicet et flagella. De verberibus autem quædam singularia scripsit: « Quia tympanum est pellis arida, ille, juxta prophetam, in tympano Dominum veraciter laudat (4), qui confectum jejuniis corpus verberat (5). »

Sacris apprime litteris studeant monachi : « Totus esto semper in prophetis, totus in Evangeliis, » a profanis autem auctoribus recedant: « Piscatorum enim sumus, non oratorum discipuli, ut ex ore christiani non latinitas Tullii, sed simplicitas resonet Christi (6). Ipse vero summopere eruditus, antiquos nonnunquam, neque sine venustate citabat. Sic quum suos hortatur ut a singulis fratribus, si quid ipsis boni sit, accipiant, Zeuxidis, in pingenda venere exemplum refert. « Nimi-

(1) Opusc. XLVII, c. 1.
(2) Cf. Juven., sat. XII, 34. — Apul., *Asin.*, lib. I; Plin., VII, 47, et XXXII, 13.
(3) Opusc. LII, *De bono religiosi status*, cap. 5.
(4) *Laudate eum in tympano et choro,* ps. CL, 6.
(5) Epist. VI, 27. — Cf. opusc. XLII, *De laude flagellorum.*
(6) Opusc. XIII, c. 11.

rum et tu ex pluribus paucos eligas, ad quorum normam interioris hominis pulchritudinem effigiare contendas. Verbi gratia, sicut ille ab alio relucentes oculos, ab alio subductas aures, ab hoc denique lacteas ac rubore suffusas mutuatus est genas, ita nihilominus etiam tu ab alio promptam obedientiam, ab alio ferventissimam caritatem, ab isto pernoctationis excubias, ab illo diuturni silentii disce censuram ; quatenus sicut ille diversarum corporum habitudines ad unius simulacri speciem transtulit, sic et tu ex variis sanctorum virorum virtutibus, unius in te veri Dei restaures imaginem (1). »

Præcepta inter et usum magnum plerumque discrimen. Monachi, cœnobium deserentes, « cum homicidis, cum perjuris, cum incestuosis, cum incensoribus ædium, cum adulteris » vulgo commorabantur, « osculoque jungebantur (2). » Nulla oratio, sobrietas nulla, « quia inhumanum putant invitantium precibus non condescendere ; delectat enim ventri, sub charitatis specie, molliter indulgere. » Hinc etiam pretiosarum amor vestium nascitur, « ne quis videlicet, in publicum prodiens, despicabilis esse videatur (3). » « Alii, eodem morbo laborantes, diversa insania feruntur. Sunt namque nonnulli qui vilium deformitate vestium favorabilem vulgi mercantur applausum. Gaudent de se inquirentium discussiones fieri ; gaudent se, velut mirandum aliquid, digito demonstrari (4). » Qui forum, tribunalia, principum atria replentes, terrena anhelantes, neglectis

(1) Opusc. XLIX, c. 17.
(2) Opusc. XII, c. 13.
(3) Opusc. XII, cap. 11 et 15.
(4) Opusc. XII, cap. 17.

cœlestibus, « tantam nihilominus a populo gloriam de sua conversatione lucrantur, ut supervenienti omnes assurgant, quidquid attulerit velut prophetiæ oraculum credant. » Sic qui sæcularem vestem, immutata mente, deposuit, sæcularem pompam callidus permutator plenius acquisivit, ipsius Domini præceptum despiciens : *Cavete ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate et curis ejus sæculi* (1).

Neque causentur ideo se cum sæcularibus conversari ut eos ad meliora revocent. Mores corrigendi nulla spes : ubi enim qui corrigant ? Ubi qui corripi velint, quum verba vitæ fabulas miseri reputent ? Quare ne regum aulas monachi, ne synodos ipsas adeant, in quibus, vera dicendo, episcoporum in se invidiam provocent. « Credite, inquit, experto. Quum scrutator fluctuum, labore frustratus, vacua lassus lina reportat, facile jam nudatos a perlustrandis inopis aquæ fluctibus revocat. Sic nimirum me non mihi soli, sed cunctis fratribus meis, talia tentasse sufficiat ; et dum unius labor inutilis fuisse perpenditur, non uni sed multis à supervacui laboris impendio cautela præbeatur (2). »

Quod si domi nunc monachos Damianus inspiciat, multa reperiat correptione digna. Hos enim de vinorum colore, sapore, origine deprehendit subtiliter disputantes (3) ; largius bibunt alii quo Domini laudes majori vigore decantent ; alii tentant oleo mollire vocem ; « sed si non tam humanas quam divinas aures mulcere cupi-

(1) Luc, xxi, 34.
(2) Opusc. xii, cap. 31. Cf. cap. 29.
(3) Opusc. xl, cap. 2.

mus, corporis nostri tympanum celsius resonabit siccum quam liquore vini vel olei pinguedine delibutum (1). » Hi autem polito sermone, illi inclyto genere gloriari; qui de majoribus, callido quodam vanitatis artificio maledicere malunt quam tacere. « Tenes quod dico? Accuso Achillem multi sanguinis reum, ut tu intelligas bellorum studio strenuum (2). » Charitas in labiis, in corde invidia, injuria in manibus (3); solo tenus reclinata, ut ita dicam, disciplina : « Periit pudor, honestas evanuit, religio cecidit, et, velut agmine facto, omnium sanctarum virtutum turba procul abcessit (4). »

Nil mirum, quum tales ipsi fuerint cœnobiorum præfecti. « Quid de monacho ille abbas habet quem videmus avaritiæ facibus inardescere, prædiorum confinia dilatare, pecunias hinc inde cum tanta aviditate colligere, ad aliena conquirenda totis desideriis anhelare? Cui monasterium sit hospitium, equinum vero dorsum quotidianum habitaculum, chirothecæ, calcaria, scutica, pedrisigulæ, et si qua alia equitandi sunt utensilia, nunquam otioso situ neglecta marcescunt; quum sacerdotalia ornamenta, quibus sacris altaribus deservitur, sæpe a tinæis comesta reperiantur. Quæ enim fora, quæ tribunalia inveniri possunt abbatibus vacua? Quæ curia quæ cubilia principum ferratis abbatum virgis non aspiciuntur effossa (5)? »

Foris sedulitas aut contentio; superbia et arrogantia

(1) Opusc. LV, cap. 2.
(2) Opusc. XLIX, cap. 11.
(3) *De vita S. Romualdi*, cap. 24.
(4) Opusc. XII, c. 4.
(5) Opusc. XXI, *De fuga dignitatum*, cap. 1.

intus. Qui decem annos aut amplius, sub alieno imperio constitutus nunquam obedire sciverit; « nunc, ipso die quo in prælatione constituitur, ita præsidentis induit speciem, ita dominantis exprimit majestatem, ut non nuper electum, sed natum dicas abbatem. Fit repente severus in vultu, imperiosus in voce, ad corripiendum acer, ad judicandum promptus... Presidendi siquidem artem docibilem dixerim, quæ tam facile discitur, ut quilibet etiam ad alia vecors, hanc mox ut inceperit, magister in ea peritissimus approbetur. »

Pœnas ab abbate monachi quodam modo repetebant murmurantes, vellicantes, rebellantes ; dormientes si prædicatio longa sit ; sin autem brevior : « Quod in suo, inquiunt, non studuit vase recondere, non valet aliis propinare. » Cæterum venia dignus abbas, si spiritualia negligat, dummodo terrena toto studio, totisque viribus prosequatur. « Ille, nimirum abbas extollitur, ille dignus percepti honoris infula judicatur, qui novit agrorum fundos extendere, turrita domorum culmina fabricare, sibi commissis non tam necessaria quam et superflua ministrare... Quod si abbas, ab exterioribus temperans, spiritualibus se studiis mancipaverit, gemitur, suspiratur, et unusquisque ex domesticæ facultatis jactura conqueritur. Ecce, inquiunt, domus sancta destruitur (2)... »

Intus, foris, si contingat
Quælibet adversitas,
Hoc incuriæ abbatis
Fratres omnes deputant;

(2) Opusc. XXI, cap. 2.

Illum rodunt et corrodunt
Et appellant bestiam (1).

Ne præsumat abbas monachorum emendare mores; « ne, quod absit, mortificationem doceat; ne, vana superstitione, eos jejunare compellat. » Quare, quum eligendus abbas, vir ipsis notus, nec ita severus queritur; « malunt de sui quempiam suini gregis custodia dignum, quam extrinsecus venientem, in omni religione vitæ et sanctitatis consummatione perfectum (2). » Qui semel in potestate constitutus, a reformandis utique moribus caveat:

Nam si velit de immundo
Quidquam loqui vitio,
Monachorum intestina
Oritur seditio;
Et occulta statim ejus
Tractatur perditio (3).

Neque fidem dictum excedere credas; quoties enim B. Romualdi necem moliti sunt (4)!

Quædam adhuc cœnobia pristinæ disciplinæ virtutibus florebant, sicut autumni tempore nonnulla arboribus, cæteris decidentibus, folia manent (5). Apud eremitas præsertim mira sane austeritas. Quemdam novit Damianus qui, tribus per hebdomadem diebus, nihil penitus comedebat, tribus aliis panem cum aqua percipiens. Dominicis autem, festisque diebus, non equidem pulmentum sed frixuram quasi edulium præparabat. « Quam sane vidisse et non tetigisse prope

(1) Petri Dam., *Preces et Carmina,* n. 221, *De abbatum miseriis.*
(2) Opusc. XXI, c. 2.
(3) Dam., *Preces et Carmina,* n. 221.
(4) Petri Dam., *D Vita B. Romualdi,* cap. 3, 41, 66, etc.
(5) Cf. opusc. XIV, in init.; op. XII, cap. 1, et XIII, cap. 1.

modum refectionem ducimus, gustare autem vel etiam olfecisse partem pœnitentiæ deputamus (1). » Alius aliis carnem castigandi modus. B. Dominicus, Damiani discipulus, ferrea ad carnem lorica præcinctus, ferreis præterea vinculis crura brachiaque constringebat. Qui duo saltem psalteria, tria sæpius, quotidie recitabat. Quum decem psalmorum modulatio, « ut sæpe probatum est, » mille scopas admittat, centumque et quinquaginta psalmis constet psalterium, sequitur B. Dominicum triginta aut quadraginta quinque scoparum millibus corpus quotidie affecisse; neque mirum si ejus pellis nigra prorsus, tanquam Æthiopis, fuerit (2).

Qui sancti viri, sibi adeo duri, sæpe numero et aliis asperiores erant. Sergius B. Romualdi pater, cœnobium olim ingressus, in sæculum reverti volebat. Quo audito, Romualdus statim, « nudis plantis, ex intimis Galliarum finibus Ravennam usque pervenit, ibique patrem ad sæculum reverti volentem reperiens, in ligno pedes ejus fortiter strinxit, gravibusque cum vinculis alligavit, verberibus duris afflixit et tamdiu corpus ejus pia severitate perdomuit, donec ejus mentem ad salutis statum, Deo medente reduxit (3). »

(1) Opusc. LI, cap. 5.

(2) Opusc. LI, cap. 8. — *De Vita SS. Rodulphi et Dominici*, cap. 10 et 11, ubi et alia legere est. — *Vita S. Romualdi*, cap. 3, 6, 52, 64.

(3) Petri Dam., *De Vita S. Romualdi*, cap. 13. Quis eruditi sane viri temeritatem non miretur! « Les protestants ont forgé une calomnie grossière contre saint Romuald. Dans une histoire ecclésiastique imprimée à Berne en 1757, il est dit que Serge, son père, s'étant fait moine, et voulant quitter cet état, duquel il était dégoûté, Romuald accourut au monastère, mit des entraves aux pieds de son père, et menaça de le frapper jusqu'à ce qu'il eût promis de persévérer dans l'état monastique. Fable absurde s'il en fut jamais. » (Bergier, *Dict. de théol.*, art. Camaldules.)

CAPUT XII.

Petrus cum Agnete imperatrice amicitia junctus. — Legatis in Germaniam mittitur. — Henrici IV divortium impedit. — B. Joannes Damiani discipulus. — Petrus Ravennam missus, Faventiæ vita fungitur.

Henricus interea, Germanorum rex, ætate simul et vitiis creverat. Qui decem et octo circiter annos natus, inter pravissimos merito jam adscriptus est (1). Anno autem MLXVI, uxorem Bertham duxerat, Othonis marchionis filiam, annum decimum et quintum agentem. Quam quum diligere nequiret, dimittere statuit, nefandisque primum nequaquam adhibitis artibus, rem cum Sigefrido, Moguntiaco archiepiscopo, post Pentecosten anni MLXIX, denique composuit. Concessum utrinque ut regem episcopus omni ope et opera in perficiendo consilio juvaret, rex autem Thuringios decimas episcopo solvere cogeret, adhibitis armis, si foret opus.

Data acceptaque fide, rex declaravit sibi cum Bertha vivere nefas, eo quod matrimonium non pos-

(1) Bruno, *De bello saxonico*. — *Annal. saxon.*, ad ann. 1067. — *Chronic. Magdeburg.*, ad ann. 1068.

sent consummare. Sigefridus concilium ea de re convocavit.

Aulam deseruerat Agnes, Henrici mater, postquam suum sibi filium, cum regimine, magnates abstulerant. Postea vero pudendam Henrici vitam abhorrens, turpioraque formidans, in Italiam secessit, Romæque, apud S. Petronillæ ecclesiam, cœnobitarum more vivere instituit. Huic scribebat Damianus : « Vidisse te, et quæ circa te, mirandum valde spectaculum. Vestis enim pulla et lanea. Is cui insidebas non dicam equus, sed potius burdo vel burricus vix mensuram desidis excedebat aselli. Mutaveras coronam velo, purpuram sacco, et manus quæ gestare solebat septrum, attrita jam erat portare psalterium (1). »

Summa veneratione fiduciaque Damianum Agnes prosecuta, integram ei totius vitæ confessionem retulit, de qua sic ipse loquitur : « Sub arcana quoque B. Petri confessione, ante sacrum altare me sedere fecisti, ac per lugubres gemitus et amara suspiria, ab ipsa quinquennis infantiæ tenera adhuc et nuper ablactata levitate cœpisti, et tanquam illic ipse B. Apostolus corporaliter præsideret, quidquid subtile vel minutum in humanitatis tuæ potuit titillare visceribus, quidquid in cogitationibus vanum, quidquid præterea subripere potuit in sermone superfluum, fidelibus est relationibus evolutum... Utinam a quibusdam homicidis, vel diversorum criminum reis, illi gemitus, illi fletus in confessione prorumperent, sic mala sibi conscia pectora singultirent, sicut illic plangebantur vel inanium fantas-

(1) Petri Dam., opusc. LVI, cap. 3.

mata cogitationum, vel quarumlibet puerilium ineptiæ levitatum (1). »

Henricus Thuringios, ut pollicitus erat, decimas Moguntino solvere jussit ; resistentes autem noluit cogere. Quod ægre ferens episcopus litteras continuo ad S. Pontificem direxit : Reginæ repudium Henricum meditari ; sese vehementer obstitisse ; imo intentatum regi anathema, si perseveraret ; convocatum Moguntiam concilium ; mittatur legatus qui S. Pontificis auctoritate, litem dirimere queat (2).

Cuncta Romani noverant ; quibus facile fuit quænam vera, his in litteris, quænam ficta forent decernere. Missus ab Alexandro in Germaniam Damianus, quem sua prudentia, simul et intima adversus Agnetem charitas, ad hanc peragendam legationem ante alios designabant. Eo autem profecto, summopere doluit Agnes : « Consolare, inquit, Venerabilis Domina. Christus sit confabulator tuus et conviva ; imo Christus ipse tuæ sint deliciæ... Hic velut alter sed longe præstantior Helcana, veraciter dicat non jam *Anna* sed *Agnes*, *cur fles et quare non comedis, et quamobrem affligitur cor tuum ; numquid non ego melior sum quam decem filii* (3). »

Nec ipse minori desiderio afflictus : « Quoniam a sancta præsentia vestra remotus sum et hoc tempore vobiscum esse non possum, satis doleo et quotidiana lamentatione suspiro (4). »

(1) Opusc. LVI, cap. 7.
(2) Labb., *Concil.*, t. IX, p. 1200.
(3) I Reg., I, 8. — Petri Dam., epist. VII, 7.
(4) Epist. VII, 8.

Proxima post festum S. Michaelis hebdomade, indicta Moguntina synodus. Imminente jam die, quum rex Moguntiam properaret, audivit jam advenisse Sedis Apostolicæ legatum, qui divortium fieri prohiberet, Moguntinoque pontificalem animadversionem minitaretur, quod tam nefariæ separationis auctorem se promisisset. Qua re consternatus in Saxoniam redire volebat; sed, suadentibus amicis, Francofurtum abiit, eoque hos convocavit qui Moguntiam convenerant. Tum Romani Pontificis mandata Damianus aperuit: « Pessimam rem et a nomine christiano, nedum ab regio multum abhorrentem, quam moliatur. Sin minus humanis legibus vel canonum sanctionibus terreretur, parceret saltem famæ et existimationi propriæ, ne scilicet tam fœdi exempli venenum, ab rege sumpto initio, totum commacularet populum christianum; et qui ultor esse debuisset criminum, ipse auctor et signifer fieret ad flagitium. Postremo, si non flecteretur consilio, se necessario vim ecclesiasticam adhibiturum. Ad hæc suis manibus numquam imperatorem consecrandum fore qui tam pestilenti exemplo, quantum in se esset, fidem christianam prodidisset (1). »

Quæ quum omnes comprobassent, rex ab incepto destitit, ficteque reconciliata cum imperatrice gratia, in Saxoniam profectus est.

Ad Avellanum Fontem reversus, Damianus cum discipulis ultimos ætatis annos transegit. Hos inter erat Joannes, illustri genere apud Insubres, Laude Pompeia oriundus, qui tanti viri fama et exemplis adductus, ins-

(1) Lambertus Schafnaburgensis, ad an. 1069. Cf. Sigonius, an. 1069.

tanter rogaverat ut se sub B. Benedicti regula, discipulum reciperet. Hunc accepit tandem Damianus, paternæque brevi dilectionis affectu amplexus est. « Reverendus prior Petrus et clericus Dei Joannes, sicut duo Seraphim, divina charitate inflammati, corde et ore jugiter Deum altissimum collaudabant et fratrum mentes ad Dei timorem et fraternam charitatem accendebant (1). »

Joanni Petrus opusculem XLIV, *De decem plagis Ægypti* dicavit; Joannes postea B. Damiani vitam litteris maxima sinceritate mandavit. « Eorum, inquit, quæ relaturus sum, partim ex ipsius ore suscepisse memini, partim ex quodam condiscipulorum meorum, qui ejus contubernio ante me familiarius inhærebat; quædam autem relatu cujusdam ipsius propinqui, viri gravis et honesti, quæ videlicet illius conversionem præcesserant, audivi; cætera quidem propria præsentia ipsemet annotavi (2). »

« Nimia se inedia cellulæ mactabat ergastulo; quotidie, præter dies festos, jejunando; cantabro pane cum hesterna aqua vescendo; suoque corpori, licet senio jam confecto, ac pluribus ferreis nexibus undique constricto, a disciplinarum palmatarumque ictibus nequaquam indulgendo; jugique psallendi, orandi, legendi atque dictandi insistando. Nec prætereundum quod in eadem pelvicula qua pauperum pedes lavabat, reficiens panem comederet, et super bibleam (3) cratem

(1) *B. Joannis Laudensis Vita,* ap. *Acta Sanctorum,* ad 7 septemb.
(2) *Vita B. Petri Dam.*, per Joann. monach., in initio.
(3) Βίβλος inter alia significat *juncum* et *corticem*. Hinc *biblea crates* juncea erat, cujus usum describit Plinius, lib. XXI, cap. 14.

nudam somni quietem caperet. Porro quum aliquando ad capitulum fratrum accedere decrevisset, facta exhortatione, mox a sede consurgens, de suis se excessibus accusabat, pro quibus disciplinæ judicium ex more suscipiens, geminis vapulabat utrinque verberibus... Vidi illum per quadraginta dies nil quod per ignem transit in cibo sumpsisse, sed tantum pomis, crudisque terræ nascentibus, absque omni prorsus potu contentum fuisse (1). »

Animum quandoque lignea cochlearia fabricando laxabat, quæ mittebat ad amicos, cum versiculis. Preces, hymnosque componebat, in quibus paradisi descriptio.

Ubi vivis margaritis
Surgunt ædificia;
Auro celsa micant tecta,
Radiant triclinia.

Solis gemmis pretiosis
Hæc structura nectitur;
Auro mundo tanquam vitro
Urbis via sternitur.

. . . .

Hiems horrens, ætas torrens
Illic nunquam sæviunt;
Flos perpetuus rosarum
Ver agit perpetuum, etc. (2).

Totus rebus æternis Damianus erat (3), quasi supremum sibi diem instare præsentiret. Ad abbatem monachosque Cluniacenses scripsit ne forte obliviscerentur

(1) *Vita B. Petri Dam.*, cap. 18.
(2) Petri Dam., *Preces et Carmina*, n. 226.
(3) Opusc. xxxiii, *De bono suffragiorum*; opusc. xxxix, *De novissimis.* — Rhythmus, *De die mortis.*

quæ sibi fuissent olim polliciti, sui scilicet obitus diem, apud ipsos, fusis ad deum precibus, solemnem fore. Idem et a Casinensibus obtinuit. « Satis quippe dignum et honestum nobis videtur, respondit Desiderius abbas, quibus tantam dilectionem impendis, tantam benevolentiam ostendis, aliquid emolumenti rependamus, ut quum ita inceperis amare semper dum vixeris, amor tuus crescat in nobis, dum aliquid devotionis et amoris præter solitum a nobis te speras consecuturum. Si autem hujus nostræ pollicitationis violator extiterit, vel nobiscum viventium aut succedentium, ante tribunal Christi reus judici præsentetur (1). »

De Fontis Avellani tam chara sibi solitudine in primis erat sollicitus : « Unde te, o prior, quicumque mihi in hujus loci administratione successeris, per adventum Domini nostri Jesu Christi, per tenorem divini judicii, te lacrimabiliter obsecro, ut ab hujus observantia, cum his qui tibi subditi fuerint non declines, a bono tramite per quem in hoc loco nunc inceditur, non aberres. Pudeat vos ab illorum nobilitate fieri degeneres, qui facti estis habitaculo successores (2). »

Agnetem quoque imperatricem, usque ad ultimum vitæ diem, sancta charitate dilexit. Quæ quum in Germaniam abire decrevisset, proficiscendi licentiam à Damiano obtinuit. Eum vero brevi pœnituit, quasi

(1) Desiderium Casini montis abbatem, Casinensesque Damianus summopere diligebat ; quos sæpius invisit. Cf. *B. Petri Dam. Vita*, cap. 20. — Damian., epistolæ II, 11, 12, 13, *Ad Desiderium.* — Opusc. XXXIII-XXXVII, *Ad Desid. ejusque monach.* — Chronic. Casin., lib. III, cap. 22.

(2) Opusc. XIV, *De ordine eremitarum Fontis Avellani.*

suum Italia decus repente perdidisset. « Heu me! cur itineri vestro vecors ac stolidus assensum præbui!... In vestri plane recessus absentia mœret Roma et B. Petri luget Ecclesia, et tota per sanctos viros ac mulieres lamentatur Ecclesia... Revertere igitur Domina mea, revertere, teque lugentibus festivam redde lætitiam, qui rutilantem cœli gemmam de capite mundi Roma quodammodo ploramus avulsam (1). »

Incipiente vero anno MLXXII, novam ab Apostolico Damianus legationem jussus est suscipere. Henricus enim, Ravennas archiepiscopus, Cadaloo pertinaciter adhæserat; quare indictum ei anathema. Excommunicati quoque Ravennates, archiepiscopi partes amplexi. Jam ad Alexandrum II scripserat Damianus ut Henrico, populoque, sicut olim decreverat, ignosceret; « indignum quippe est, inquit, ut propter unius homuncionis offensam, tam innumerabilis hominum multitudo depereat (2). »

Nihil vero tunc impetravit. Henricus anno MLXX, primo quidem januarii die, absque absolutione defunctus est. Non mirum quod S. Pontifex, populo providendum ratus, ad eam rem peragendam Damianum elegit, virum nempe prudentissimum, humanissimum, ipsum et Ravennatem. Qui summo gaudio a civibus exceptus, eos, imposita pœnitentia, excommunicationis vinculo liberavit (3).

Quum, legatione functus, ad propria rediret, Faventiæ, in B. Mariæ monasterio, febre correptus occubuit,

(1) Petri Dam., epist. VII, 8.
(2) Petri Dam., epist. I, 14.
(3) *Vita B. Petri Dam.*, cap. 21.

ubi « circa medium octavæ noctis silentium, exitus sui horam appropinquare agnoscens, ex templo, nobis lectulo circumstantibus nocturnum seu matitunale officium totum peragere jussit (1). » Quo peracto, defunctus est, die februarii XXII, anno MLXXII.

Fuit in ipsa B. Mariæ basilica ante altare reconditus, ingendi facto totius civitatis concursu, « omnibus in psalmis et hymnis voces in excelsum tollentibus, dignaque Deo gratiarum præconia totis viribus exhibentibus, cujus munere tanto se ditatos gratulabantur (2). »

« Sic Deus, in hoc deploratissimo sæculo, quum excrevisset ad Ecclesiam obruendam diluvium carnis, dedit mundo tantum virum, qui austerissimæ vitæ exemplo, verbique prædicatione et scriptis exsiccaret tantam putredinem, pariterque pugnaret adversus simoniacam hæresim, quæ ubique locorum grassabatur impune (3). » Hæc Baronius qui, veterum scriptorum auctoritate ductus, *Hieronymum juniorem* Damianum nuncupare solebat (4).

Antiquissimis tum Ravennatis Ecclesiæ, tum Faventinæ tabulis monumentisque constat Damiani nomen inter sanctos fuisse perpetuo memoratum. Hodiernis demum temporibus, romano martyrologio, ad diem februarii XXIII, inscriptum est.

(1) *Vita B. Petri Dam.*, cap. 22.
(2) *Vita B. Petri Dam.*, cap. 22.
(3) Baronius, *Annal. eccles.*, ad ann. 1072.
(4) *Alter Hieronymus*, in nostro tempore. (Berthold., in lib. *De vitanda excommunicatorum communione.*)

FINIS.

Vidi ac perlegi Lut. Paris., in Sorbona,
Idib. februar. an. MDCCCLXXXI.

Facult. Litter. in Acad. Paris. Decanus,

H. WALLON.

Typis mandetur.

Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD.

7

Guerrier, Louis, 1827-
De Petro Damiano ostiensi episcopo romanque ecclesi cardinali